

SYNODALIA
DECRETA

Ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D. HYACINTHO DE CALCE

Patritio Salernitano, ex Clericis Regularibus, Examinatore Synodali in alma Urbe, Antiſtite Arianenſi, & Regio Conſiliario;

Ædita ſub die decimo menſis Maii 1714. Feſtu Aſcenſionis Domini, & ſubſequentibus diebus undecimo, & duodecimo ejuſdem menſis, & anni.

CUM ASSISTENTIA REVERENDISS. DOMINI

D. ROSARII RICCIO PEPOLI

U. J. D. Prothonotarii Apoſtolici, Canonici Laurinenſis, ejuſdem Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domini in ſpiritualibus, & temporalibus Generalis Vicarii.

NEAPOLI, Ex Typographia Dominici Roſelli 1715.

Superiorum Licentia.

EDICTUM

CONVOCATIONIS DIOECESANÆ SYNODI.

Hyacinthus de Calce ex Clericis Regularibus Examinator Synodalis in Alma Urbe, Episcopi Arianen, Regiusque Consiliarius.

AD Sanctæ Arianensis Ecclesiæ regimen meritis licèt in paribus æternæ providentię inscrutabili arcano assumpti præcipua Nostra cura, & sollicitudo fuit gregem Christi cruore redemptum, nobisque concreditum in æternæ salutis viam dirigere. Prò his votis adimplendis, per decem, & septem annos Præsulatus Nostri complures Sanctos Visitationes habuimus, ac Diœcesanam Synodum duodecies celebrare curavimus, ut Oues aberrantes à via in Caulam Domini manducarent de verbo veritatis; tandem aliam Diœcesanam Synodum ad effectum, quo supra Dei adiutorio, & sub auspicijs purissimæ, semperque Virginis Mariæ Deiparæ, Sanctorumque Othonis, & Elzearij nostræ Ecclesiæ Patronorum, ad divini Cultus augumentum, Ecclesiasticorum reformationem, gregisque Nostri salutem celebrandam indicimus sub die decimo mensis Maij 1714. festu Ascensionis Domini, & duobus alijs diebus sequentibus. Propterea Vniversas Civitatis Nostræ Dignitates, & Canonicos, Parochos, totumque Clerum, cum Archipresbyteris, Abbatibus, Sacerdotibus, cæterisq; Ecclesiasticis de tota Nostra Diœcesi, qui de Jure, & consuetudine Synodali cetui intervenire tenentur in Domino monemus, & monendo, sub pœnis à Sacris Canonibus inflictis, aliisque arbitrio Nostro, mandamus quatenus diebus supra statutis habitu, & tonsura ordinis convenientibus veste talari nitidis superpelliceis, & insigniis Ecclesiasticis, ut de more Ecclesiæ

nostræ Cathedrali Arianen præsto, paratique adsint; neq; vice eorum aliquem mittant, nisi ex Causa legitima à Nobis approbanda. Nec ante Synodi finem, nisi enarrata causa, & cum Nostro beneplacito. Nè verò, dùm Parochi Nostræ Diœcesis è residentia, hac de causa absint animæ ipsis commissæ detrimentum patiantur earum curam Sacerdotibus idoneitate pollentibus commendent. Et ut hæc actio tàm Sancta Divino directa afflatu prosperum successum spondeat, volumus, ut singulis diebus Dominicis à præsentium publicatione, usq; ad celebrationem Synodi tam in Ecclesia Nostra Cathedrali, quam in alijs Ecclesiis Collegiatis, & Parochialibus tum Civitatis, tum Diœcesis ora competenti Sanctorum litaniæ recitentur; ut hæc sancta Operatio, Dei adiutorio incipiat, & cepta finiatur.

Præterea in Domino serventèr hortamur, Gregem Domini nostræ Custodiæ commissum, ut assiduis precibus à Deo Nobis auxilium implorent in ijs decernendis, & exequendis, quæ ad Cleri, & Populi æternam salutem fuerint necessaria. Vt autem ignorantiæ causa à nemine allegari valeat mandamus, hoc pręsens edictum ad valvas Nostræ S. Cathedralis Ecclesię, aliarumque Parochialium Ecclesiarum Nostræ Diœcesis affigi, cuius affixio omnes, & singulos, quorum intereſt afficiat, ac si cuiquam ipsorum personaliter foret denunciatum. Datum Ariani ex Nostro Episcopio hac die 20. mensis Aprilis 1713.

HYACINTHVS EPISCOPVS ARIANENSIS.

D. Dominicus Albanese Secretarius.

APERITIO SYNODI.

PRima Sessio Synodalis die decima Maii festu Ascensionis Domini hora decima tertia Illustrissimus, & Re-

Reverendiss. Dominus Episcopus Cappa indutus, procedente Clero Diœcesis totius, & Civitate, ac Parochis cum stolis, Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum, postea Canonicis Cathedralis Ecclesiæ ad Cathedralem ipsam descendit, & postquam aliquantulum oravit, accessit ad Tronum, ubi Pontificalibus indutus prò missa celebranda, ipsam missam celebravit votivam de Spiritu Sancto,quà finita, ac depositis omnibus missę paramentis Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus in suo Trono sumpsit Pluviale rubrum, Mitram,& Baculum,& ascendens ad faltistorium in medio Chori dispositum genuflexus intonavit antiphonam,*Exaudi nos*, cantorum scola prosequente, eoq; posteà in faltistorio sedente, & omnibus considentibus cantatus fuit Psalmus 68. *Salvum me fac Deus*, proùt in Pontificali: Post Psalmum,& antiphonam repetita IllustrissimusDominus surgens deposita mitra,altare versus recitavit oratione, *Adsumus Domine*; his peractis Canonicis Diaconus acc epta benedictione cantavit Euangeliū convocatis Iesus,ut ex Pontificali,quò completo flexis genibus fuerunt à cantoribus cantate litanię, & ad verba, ut hanc Synodum visitare, disponere, ac benedicere digneris,Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus surgens Synodum benedixit, & in fine stans altare versus recitavit orationem, *Da quæsumus*; his cæterisque, prout in Pontificali peractis Illustrissimus,& Reverendissimus Dominus ante altare genuflexus intonavit Hinnū,*Veni Creator Spiritus*, quo expleto resumpta mitra sedit in faltistorio, & allocutus est illa verba Pontificalis,*Venerabiles Fratres*.

Post hæc Reverendiss. Dominus V.I.D. Prothonotarius Apostolicus D. Rosarius Riccio Pepoli Canonicus Laurinensis, & Generalis Vicarius accedens ad Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Episcopum detulit ei Codicem Sacrosancti Concilii Tridentini, necnon præliminaria decreta Synodi, quæ ab eodem Illustrissimo,

 & Re-

& Reverendissimo Domino tradita fuerunt. Admodum Rev. D. Dominico Albanese Rectori Parochialis Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ Arianensis Synodi Secretario, qui his reverenter acceptis loco solito, & consueto sequentia Decreta alta voce denunciavit.

DECRETVM PRIMVM.

De Synodi Inchoatione.

IN Nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Nos Hyacinthus de Calce ex Clericis Regularibus Examinator Synodalis in Alma Vrbe, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Arianensis, Regiusque Consiliarius.

Ad Omnipotentis Dei, Gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ, Sanctorumque Othonis, & Elzearii, & aliorum Sanctorum Nostræ Cathedralis Ecclesiæ Patronorum laudem. Hanc Nostram Diœcesanam Synodum incipimus, & inceptam esse volumus. Ipse enim Christus, qui hodierna die gloriosus ad Cœlos ascendit, suis sanctissimis meritis supernæ claritatis lumen Fidelium mentibus ab æterno Patre imploret, ut quæ per Nos Sanctè fuerint Decreta amplecti, & exequi valeant.

DECRETVM SECVNDVM.

De Præjudicio non inferendo.

SI in hac Synodo contingerit, quem præter suæ dignitatis muneris, vel gradus conditionem incedere, stare, sedere, vocari, aut quid peragere; nemini propterea præiudicium aliquod, aut novum jus esse acquisitum decernimus, sed omnia in eo statu permanere volumus, in quo antè hanc Diœcesanam Synodum permanserant.

DE-

DECRETVM TERTIVM.

De querelarum delatione, & absentium excusationibus.

PRò querelis, quæ in hac Synodo deferuntur audiendis juxtà antiquum Sacrorum Canonum institutum deputamus.

Per Illustriss., & Reverendissimum Dominum D. Rosarium Riccium Pepoli V. I. D., Canonicum Laurinensem, Prothonotarium Apostolicum, & nostrum Generalem Vicarium.

Per Ill. & admod. Rev. Dominum D. Elzearium Ansano Archidiac. V. J. D.

Per Ill. & admod. Rev. Dominum D. Vincentium Incontri V. J. D. & Protoh. Apostolic. Archipresb.

Per Ill. & admod. Rev. D. Carolum de Auriliis V. I. D. Canonicum, & Proth. Apost.

Per Ill. & admod. Rev. D. Sempronio Bruno V. I. D. Abbati insign. Colleg. Eccles. S. Petri.

DECRETVM QVARTVM.

De Oratione publica.

ANtiquissimum institutum in synodali Conventu fratres carissimi est prò publicis necessitatibus orationem fieri, idcireò in his diebus orandum indicimus prò Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa Vndecimo cum Sacro Cardinalium Collegio. Prò Ecclesia Sancta Catholica Romana, toto Orbe diffusa. Prò Nostra Beneventana Provincia, prò Eminentissimo Metropolitano Zelantissimo Archiepiscopo, & prò omnibus Illustriss. & Reverendiss. hujus Provinciæ Pastoribus.

Prò Illustriss. & Reverendiss. Domino Antistite Nostro Hyacintho, & Deus, & Dominus noster rorem suæ

gratiæ continuò in eum infundat, qua animas Christi pretiosissimo Sanguine redemptas in viam veritatis dirigere possit. Prò Venerab. Clero, & Regularibus omnibus, tum viris, tum mulieribus hujus Diœcesis, ut constantes ambulent in ea vocatione, qua vocati sunt. Prò Sereniss., & Cattolico Rege Nostro Carolo Romanorum Imperatore, ut Barbarorum gentes, quæ in sua feritate confidunt ejus potentia conterat, prò omnibus Catholicis Principibus, ut Ecclesia Dei incessanter defendere valeant. Prò Præfectu populi Nostræ Diœcesis, & salutari hujus Synodi successu.

DECRETVM QVINTVM.

De Officialibus Synodi.

ET quia hæc Synodus legitimè convocata, & congregata indiget Ministrorum aliquorum officio prò ejus directione, ideòque in ea sequentes officiales statuimus;

Promothor V.J.D. D.Nicolaus Bevere Canonicus.

Secretarius D.Dominicus Albanese Rector S.Joannis Evangelistæ.

Magister ceremoniarum Ill.& admod. Rev. D. Jacobus Enrico Canonicus.

Pius Collega Rev.D.Antonius Gratiano.

DECRETVM SEXTUM.

De Judicibus Synodalibus.

IN hærentes Bonifacii Octavi, aliorumque Summorum Pontificum Constitutionibus, necnon sacri Concil. Trid. sanctionibus, proponimus infrascriptos Judices, quibus causæ per Sedem Apostolicam delegari possint.

IV.

JUDICES SYNODALES.

Per Illuſtris, & Reverendiſs. Dominus V.I.D. D. Roſarius Riccio Pepoli Prothonot. Apoſtolicus, Canonicus Laurinenſis, & noſter Vicarius Generalis.

Perilluſtr., & Adm. Rever. Dominus V. I. D. Elzearius Anzani Archidiaconus.

Perilluſtr., & Adm.Rev. Dominus V.I.D. & Prothonot. Apoſtolicus D. Vincentius Intonti Archipresbiter.

Perilluſtr., & Adm. Rev. Dominus V. I. P. D. Antonius Converſi Primicerius primus.

Perilluſtr., & Adm. Rev. Dominus V. J. D. D. Nicolaus Forte Primicerius ſecundus.

Perilluſtr., & Adm. Rev. Dominus D. Ioannes Baptiſta Bevere Canonicus Theſaurarius.

Perilluſtr., & Adm. Rev. Dominus V.I.D.D.Carolus de Auriliis Canonicus,& Proth.Apoſt.

Perilluſtr., & Adm. Rev. Dominus D. Joannes Jacobus Errico Canonicus.

Quibus propoſitis Secretarius rogavit. Placet ne vobis? Reſp. Placet.

DECRETVM SEPTIMVM.

De Examinatoribus Synodalibus.

PRo obſervantia eorum, quæ à Sacro Conc. Trid ſunt definita proponuntur hi viri pietate, ac doctrina præditi requiſita habentes ad tenorem Tridentini, qui Examinatorum officio fungi debeant, uſque ad aliam Synodum.

Perilluſtris, & Reverendiſs. Dominus D. Roſarius Riccio Pepoli V. I. D. Prothonotarius Apoſtolicus, & noſter Generalis Vicarius.

Perilluſtres Domini D.El-

D. Elzearius Anzani V.I.D. & Archidiaconus.
D. Vincentius Intonti V. J. D. Prothonotarius Apostolicus,& Archipresbyter.
D. Antonius Conversi V.I.P. & Primicerius major.
D. Nicolaus Forte V.J.D. & Primicerius minor.
D. Mutius Costanzo S.T.D. & Pœnitentiarius major.
D. Nicolaus de Perellis V. J. & S. T. D. Canonicus, & sacrarum Paginarum lector.
D. Paulus Capone S.T.D. Canonicus,& Prædicator Apostolicus.
Rev. Pater S.T.L.Frater Zaccharias à Rocchetta ex Provincialibus Ordinis Reformatorum S.Francisci.
Admodum Rev. D.Dominicus Feleppa S. T. P. Rector Rev.Seminarii.
Rev. Pater Casimirus Acquanetta Ordinis Prædicatorum S.T.L.

Quibus nominatis Secretarius rogavit num eos probare per verba Placet ne Vobis? Respond. Placet.

Deindè, Secretarius subdidit, accedant ad Illustriss. & Reverendiss. Dominum Examinatores electi, & coram eo præstent juramentum fidelitèr administrandi officium, & omnes Examinatores spoponderunt, & juraverunt, postposito quocumque humano affectu fideliter, & sincerè quantum in ipsis erit munus exequuturos, sic nos Deus adjuvet.

Tandem propter horæ tarditatem Illustriss., & Reverendiss. Dominus Episcopus surgens Esaltistorio, & ad suum Thronum ascendens Synodo benedixit forma consueta cum solitis Indulgentiis: Consideransque propter suam senectutem non posse aliis sessionibus præsens esse, commisit earum continuationem, usque ad finem Synodi suo Generali Vicario Perillustri, & Reverendiss. Domino D. Rosario Riccio Pepoli U.J. D. Prothonot. Apostolico, & Canonico Laurinensi, viro meritissimo, & in legali Palestra

lestra apprimè versato, statimque discessit, Clero præcedente, & Canonicis sequentibus.

HYACINTHUS EPISCOPUS ARIANEN.

D. Dominicus Albanese Secr.

Continuatio sessionis hora vespertina.

POst Completorium, Reverendiss. Dominus V. J. D. D. Rosarius Riccio Pepoli Generalis Vicarii continuaturus Synodalem sessionem de mandato Illustriss., & Reverendiss. Domini Episcopi, indutus vestibus Prothonotariorum more in Cathedralem Ecclesiam descendit, & facta oratione ante Venerabile, sedit; statimque per Promothorem fiscalem fuit instatum, ut sequitur.

Reverendiss. Domine, ut quisque sciat, quod exequi teneatur Ego D. Nicolaus Bevere Canonicus, & hujus Synodi Promothor insto, ut quæ per Illustriss. Dominum Antistitem pro hujus S. Ecclesię Arianensis Gubernat. sancita sunt promulgari à Dominatione sua Reverendiss. & in hac Synodo nomine Illustriss. Dom. assistente jubeatur, Reverendiss. Dominus Generalis Vicarius respondit. Promulgari jubemus. Et statim Secretarius Synodi alta, & intelligibili voce promulgavit decreta Synodalia à Titulo De Fide Catholica, & ejus professione, usque ad titulum de Sacramentorum administratione, qua parte Synodi lecta Secretarius Synodi de ejusdem Reverendiss. Domini Generalis Vicarii mandato, alteram indixit sessionem die undecima mensis Maii 1714. habendam de mane hora decima tertia, & sessione absoluta statim discessit.

Sessio

Sessio secunda die undecima Maii 1714. hora decima tertia.

Reverendiss. Capitulo, totoque Clero in Ecclesia aspectante Reverendiss. Dominus V. I. D. D. Rosarius Riccio Pepoli Vicarius Generalis Illustriss. & Reverend. Domini Episcopi ascendit ad Cathedralem Ecclesiam indutus habiti Prothonotarii, & facta oratione ante Sacramentum sedit, statimque Promothor Fiscalis instirit pro prosequtione lecturæ Synodalium Constitutionum per hæc verba:

Cum ea omnia, quæ in hac Diœcesana Synodo statuta sunt ab Illustriss. & Reverendiss. Domino Hyacintho de Calce Antistite Arianensi esterna die ob temporis angustiam legi non potuerint, ideoque, ne tantum opus remaneat imperfectum Ego D. Nicolaus Bevere Canonicus, hujusque Synodi Promothor insto decerni, quod eorundem decretorum tenor prosequatur. Reverendiss. Dominus Generalis Vicarius respond., prosequatur, & incontinenti Synodi Secretarius alta, & intelligibili voce legit decreta à tit. de Sacramentorum administratione, usque ad tit. exclusivè de Sacramento Matrimonii: & cum esset hora meridiana de mandato Reverendiss. Domini V. I. D. D. Rosarii Riccio Pepoli Generalis Vicarii indixit continuationem sessionis hora vespertina ejusdem diei, & discessit.

Continuatio sessionis secundæ hora vespertina Reverendiss. D Generali Vicario sedente in S. Cathedrali Ecclesia. Promothor Fiscalis instetit, ut sequitur.

In præcedenti sessione licèt diuturna Reverendiss. Domin. assistens, decreta omnia huius Synodi publicari non potuerunt; quapropter Ego D. Nicolaus Bevere Canonicus illiusque Promothor insto, ut eorum lecturam Dominatio tua Reverendiss. præcipere dignetur Reverendissimus Dominus Generalis Vicarius, & assistens Resp.

præ-

præcipio, & per Secretarium alta, & intelligibili voce lecta fuerunt Synodalia decreta à titulo de Sacramento matrimonij, usque ad titulum de Synodalibus Constitutionibus, exclusivè. Et in dicta pariformiter tertia sessione habenda die duodecima mensis Maij 1714. hora decima tertia Reverendissimus Dominus Generalis Vicarius assistens discessit.

Tertia sessio Die duodecima Maii 1714.

FActa solemni Processione cum delatione Sanctarum Reliquiarum à Reverendissimo Capitulo S. Cathedralis Ecclesiæ, totoque Clero, tum Vrbano, cum Diœcesano hora decima tertia Reverendissimus Dominus Generalis Vicarius assistens, Ecclesiam ingressus facta oratione ante Venerabile Sacramentum, sedens, instatum fuit per Promothorem prò Conclusione lectionis eorum, quæ sanctè per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Episcopum sancita fuerunt, prout sequitur Reverendissime Domin. assistens. Prò coronide præsentis Synodi evulgandus est Titulus de constitutionibus Synodalibus. Idcircò, ut metam attingamus, & ad conclusivos actus deveniamus insto dignetur dominatio sua Reverendissima decernere, ut quod reliquum est perlegat. Reverendissimus Dominus assistens Resp. quod superest legatur.

Secretarius acceptis decretis, & Comitatus à Rev. D. Antonio Gratiano Collega magistri Cœremoniarum marmoreum suggestum ascendit, ac decreta omnia, quæ in titulo de Constitutionibus Synodalibus continentur legit, nec non totam Synodum rogavit, num ea placerent verbis sequentibus.

Placet ne vobis Reverendissimi Domini de Capitulo, Admodum Rever. Domini Colleggiatarum Ecclesiarum Canonici, Archipresbyteri, Rectores, Curati, ac tota Synodus, quæ decreta, & ordinata sunt, Responderunt

Pla-

Placet. Quibus omnibus expeditis statim Per Illustr., & Admodum Rever. D. Antonius Conversi V.I.P. & Primicerius primus S. Cathedralis Ecclesiæ intonavit Hinnum. *Te Deum laudamus.*

Rosarius Riccio Pepoli Vicarius Generalis in Synodo Assistens.

D.Dominicus Albanese Secretarius.

AD SANCTAM

SYNODUM

Ariani indictam, & publicatam.

PRÆFATIO.



Ælix Dies, Magna Dies, Dies memorabilis ad Nos tandem recurrit Venerabiles Patres, Religiosi *adstantes: Dies, quà Altissimi subliniorem ad honorem promovendum, prædilectæ eius Sponsæ pinguiora merita propaganda, Fidelium mentes ad altius evehendas, leges in Nos Sanctissimè à Patribus profectas ampliandas, servandasque contenditur. Dies, qua stolam Iucunditatis singulis reddi, cunctos è vinculis servitutis ereptos gloriosis sedibus donari, neminem cæcitatis tenebris absolutum æterni luminis fruitioni non restitui, & enixè studetur, & elaboratur ardenter. Et quæ hac dies lucidior? Quæ pretiosior, quæ suavior sub Cœlo nitidissimo enituit, specioso sub aère coruscavit? Diem restitutricem pacis, Promotricem Iusti, Expiatricem sceleris, fundatricem Quietis, an non cæteris Annorum Diebus invidendam Ariane arbitrabere? An non Diei sanctificato, qui Nobis Divinitus illuxit, qui posuit præceptum in Israel, & Iudicium Deo Iacob, in* T*uba Næomenia, in Cymbalis jubilationis tensebis psallendum?Ità fermè. Exquisitiori Cordis lætitiæ locus debet esse, cum mæror nequitiæ, cum angor scelerum universorum è mentibus per suavissimum servandæ legis Imperium propulsatur. Quod si quem in insigni Die*

 sole-

ſolemnitatis noſtræ tæderet lætari, is profectò inſcius omninò ſuæ ſortis excellentioris cenſendus eſſet: Etenim, ſi humanæ Naturæ vulneri ſæviſſimo ex Inobedientia contracto, per Legis impoſitionem, ab eo, qui factus ſub Lege, legem non ſolvit, ſed adimplevit, ſubveniretur oportuit: hoc foret, ſequitur miſerabilior humanitas, quò ſegnior ad meditationem illius Medicus eſſet: Ex quo fit, ut illo pervigili ad curationem, Eger gaudeat, languidus exultet, Infirmus jucundetur opus ſit. Abiere iam prima: Non fulgura micant, non Buccina perſtrepit, non montes fumant, non fumus aſcendit, cum lex indicitur, cum proponuntur præcepta; Innoxii cruore Agni, & onus levitatem ſibi, & ſuavitatem induit Iugum, quodquè ad cohercendum primi Hominis inſolentiam æquè fuit neceſſarium, ac durum, ſpe modo mercis, ex illius meritis, qui Legis propter Zelum in ligno pependit aſſequendæ, dulcè, & pergratum eſſe, omnibus innoteſcit. Quid enim malorum ſine Lege: quid bonorum per Legem, legiſque obſeruantiam non erumpit in homines? Quis ſine lege firmata videret Imperia, Reſpublicas ſolidatas, Regna *munita? Vbi honor Eccleſiarum, ubi Civium concordia? Vbi Ovium ſecuritas? Vbi quies? Vbi* Pax? *Vbi bonorum conſervatio? Vbi honeſtas? Vbi ſanctitas? Vbi amor? ſine lege.* Per *legem Sanctimonia floreſcit, fugatur improbitas.*Per *eam Abraham iuſtificatur, Ioſeph Gubernio Ægypti præficitur, per ipſam Iſrael cuſtoditur, Oloſernes opprimitur, Eſther exauditur, Aman ſuſpenditur.*Per *Zelum illiùs vivus ad Aſtra transfertur Elias: æternoque Sacerdotio* P*hinees donatur. Et ò noſtram felicitatem, ſi lex ea in Nobis jeciſſet fundamenta, quæ jacta ab ea, universè eſſet optandum. Quis ſtrepitus Armorum, orbem undique concutiens nos turbaret? Quis timor direptionis bonorum concuteret? Quæ labes Invidiæ, quod proditionis venenum perditorũ hominum per intima ſerpens,*

ad

ad lachrymas oculos, cor ad suspiria provocaret? Et Ludos eiectos, & avaritiam fugatam, Detractiones sublatas sordes quascumque vindicatas videremus. Videremus inquam lupum habitantem cum Agno, Pardum cum Hædo, Nocentem neminem, Opprimentem nullum, & in multitudine pacis delectaremur unanimes: Lex enim ea est, quæ avidos regnandi cum Christo, ab infimis ad altiora trahit, & noxis quibusque educit, trahendo. Ipsa est, quæ plana in directa, aspera in vias planas convertit. Ipsa undè Nos, nos dico Sacerdotes Dij Sacris dicimur in Paginis, filijque omnes excelsi nuncupatur. Vndè ipsum Deum Legis Auctorem, & tangimus, & immolamus, & coram eo pro Mandatorum observantia singulis diebus orantes stamus: Ita ut, & Legis Apostoli, & Legis Præcones revera nominemur; & simus. Quod si tanto per Legem dignati fuimus honore, si tanta aucti sumus Dignitatis excellentia, ut Angelorum species in eius animadversione pænitus confundantur: qua adstringentissima ratione: qua Iuris necessitate ad ampliationem Legis, ad Legis venerationem tenemur? Præstaret equidem, eamdem Legem non extitisse, quam ipsa Vniversis ad filiationem Dei assequendam prælata, Nos Sacerdotes Beatissimæ Triadis commilitones, viriliter non ageremus pro ea: Præstaret ipsum orbem è Tenebris Chaos non erutum fuisse, quam nos Sacerdotes propagationi illius indormiremus inaniter: Orbe enim suis involuto confusionibus, nobis, cæteris ab hominibus ad sempiternum pudorem non stetisset distinctio, cui Nobis modò gratis donatis, fit ut omnium oculis teneamur, & undique notemur; Ità quod si Aer tonitruis reboet suis, si Nubes ab eorum sinu coruscationes emittant, si Mare fremat, si terra excutiatur: Datur Nobis, quod ad Legis observantiam non vigilemus, quod de præceptis ampliandis, per nos non agatur, neque tractetur. Si cruore Orthodoxo Martialia Castra redundant, si Pestis crassatur, si premit inopia, si per-

pernicies inundant, nobis datur, quod Zelo legis permoti, auctiori legis non studentes, eorumdem malorum incursibus non opponamur. Quapropter meritò per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Antistitem nostrum Venerabilem, qui in omni Operæ dedit Confessionem Sancto, & Excelso in Verbo gloriæ, ut sit memoria illius in benedictione, & Nomen eius permaneat in æternum dispositum fuit, ut innumeris malis Vmanitatem oppressam Sancta Synodus, per quam reformationi morum enixe studetur, levaret. Meritò sancitum est, ut à nobis ipsis Præsbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, totoque Ecclesiastico Cætu, ipsa reformatio eum capiat incrementum, quod singulos fideles ad imitationem impellat, ad pœnitentiam excitet: Si enim ipsa, qua imbuimur natura trahimur ad studium, ut ijs repleamur benedictionibus, quæ de rore Cœli, & de pinguedine Terræ repromissæ sunt Iacob, si agimur amore; ne calamitatum transfixionibus molestemur; per tramites Sanctitatis, nobis est incedendum: Quæ quidem spes levaminum assequendorum, in eo quod viva Templa Deo, per actus Iustitiæ, per opera Spiritualia reddamur sicuti Pastorem nostrum zelantissimum, hoc bonorum in Animas, id Iucunditatis in Corpora promoventem æternis laudibus dignum, ità hodiernam diem cæteras inter celeberrimam, tamquam certum ad Beatitudinem, tutum, ad pacem, & unionem aperientem aditum quinque effecerit, non est hæsitandum: Ità quod in tanta solemnitate, Communium affluentiam bonorum, Cordis hilaritate, ac Spiritus exultatione fas sit comitari. Oremus tamen Patrem Misericordiarum, & Dominum totius Consolationis, à quò Bona cuncta procedunt, ut quæ in hac Sanctissima Synodo concorditer complectenda, & vitanda, Spiritu Sancto afflante decrevimus, ipse per suam clementiam expleri misericorditer largiatur. Amen.

DE

DE FIDE

CATHOLICA, ET EJUS PROFESSIONE.

1 

Um juxtà Concilii Tridentini decretum, Fides sit humanæ salutis initium Fundamentum, & radix omnis Iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius Consortiũ pervenire, atq; semel suscepta firmiter servari debeat: Sanctorum Patrũ, & Catholicæ Ecclesiæ usus ex illo Apostoli ad Romanos. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, semper docuit, ut in Synodalibus Constitutionibus ordinandis Orthodoxæ Fidei professio initium præstaret. Ideòque, nos inhærentes Sacri Concilii Trid: *(a)* Decretis, & Constitutioni Pij IV. *(b)* quæ incipit: *Iniunctum nobis* eam fieri mandamus ab infrascriptis.

2 Omnes, qui Dignitates, & Canonicatus, tàm in Cathedrali, quam in Collegiatis Ecclesiis obtinuerint, infra bimestre à die adeptæ possessionis coram nobis, vel nostro Generali Vicario; & idem etiam agant in Capitulo, vel Collegijs ad præscriptum Sac. Conc. Trid. *(c)*, alias non faciant fructus suos.

3 Ad Animarum curam promoti, infra idem tempus, quo supra, professionem fidei emittant.

4 Quicumque, sivè clericus, sivè laicus publicè, vel privatim in Civitate, vel Diœcesi Grammaticam, Philosophiam, vel quascumque alias liberales artes legere, vel docere voluerit, ultra pœnas à Pio IV. contrà eos statu-

a *Trid. sess. 24. c. 12. de refor.* b *Pius 4. Constit. Iniunctum Nobis.* c *Trid. loc. cit.*

statutas, pœna ad nostrum beneplacitum punietur.

5 Omnes Ecclesiastici, quæcumque beneficia assequti, in prima Diœcesana Synodo, in qua si legitimè impediti non fuerint, convenerint publicam fidei professionem in Manibus nostris emittant, ex Sacri Concilii Tridentini præscripto.

6 Vt autem de prædictis notitia habeatur num inviolatè serventur, & contra Transgressores inquiri possit, mandamus Cancellarijs nostræ Curiæ, ut Codicem habeant ad huiusmodi professiones registrandas destinatū.

DE FIDE CATHOLICA TVENDA.

1 CUm hominis colluctatio sit, non solum adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principem tenebrarum semper vigilantem, insidias, ac versutias machinantem, & in ipsa sincera fidei semina zizania falsitatum spargentem; & quos pravis actibus corrumpere non potest, impijs conatur subvertere erroribus: undè inter periculosa scelera; quæ Christianum genus ipso machinante, devastant, hæresis est latè diffudens acutius penetrans, & tenaciùs inhærens: nos igitur, qui in sortem Domini vocati sumus, ut de medio tritici zizaniam hanc euellamus, & commissum nobis Gregem non habentem maculam in sana doctrina conservemus, mandamus.

2 Vt omnes, qui sciunt aliquem penès se retinere hæreticorum libros, scripta, & quæcūque alia opera continentia hæresim, vel hæresis suspicionem; legentem ad nos deferant.

3 Sciant detinentes libros, vel scripta hæresim continentes, vel falsi dogmatis suspicionem, vel legentes, vel deferentes ligari pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ Domini lata, & Sanctissimo Domino reservata.

4 Illos verò, qui retinere, vel legere ausi fuerint libros,

libros, nec hæresim, nec contra Religionem tractantes alia tamen ex causa vetitos, & indici librorum prohibitorum insertos, seù appositos, digna pœna nostro arbitrio plectendos esse sciant, ultra læthalem culpam, quam reddent Domino Nostro.

5 Et nè detur aliqui occasio errandi circa hoc, sciant omnes nostræ Diœcesis in excommunicationem in Bulla Cœnæ contentam incurrere Omnes ij, qui iubent ab alijs libros hæresim continentes legi, ipsis audientibus neque ab hac censura excusantur ij, qui tales libros legunt, & pœnam contra legentes incurrunt.

6 Et quia corrumpunt bonos mores colloquia mala; omnibus ludimagistris, & Patribus familias monemus, & in Domino hortamur, nè in scholis, & in domibus permittant Discipulos, & filios libros obscena continentes detinere, & legere, vitia enim, & non virtutes ab ipsis ediscunt.

DE BLASPHEMIS.

1 EST tā abominabile vitium blasphemiæ,ut ait S.Antoninus, quo attribuitur Deo,quod ei non convenit, vel removetur à Deo, quod ei congruit; & ut Princeps Sacrarum litterarum Augustinus dixerit non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in Cœlis, quam, qui crucifixerunt ambulantem in terris; ut nemo dubitare possit gravissimum peccatum esse cum videatur immediatè Deum ipsum impugnare. Quare blasphemus morte plectebatur in antiqua lege, qui blasphemaverit nomen Domini morte morietur; ideo, ut huic crimini,ad cuius comparationem Teste Hyeronimo, minus est peccatum omne, opportunis remedijs occurramus.

2 Mandamus omnibus,& singulis scientibus aliquem in blasphemiam hæreticalem prorupisse, teneri eum

denunciare ex Canonum præſcripto, quibus notum facimus indulgentiam decem annorum lucrari iuxta Concilij Lateranenſis ſtatutũ ſub Leone X. Pontifice Maximo.

3 Si verò blaſphemiæ aliquid hæreticæ pravitatis admixtum fuerit, volumus per noſtros Officiales, tamquam de hæreſi ſuſpectos procedi in eos.

4 Quicumque auſus fuerit blaſphemiam hæreticalem publicè pronunciare in Deum, & Beatam Mariam Virginem ex prava conſuetudine abſoluere quilibet Confeſſarius nequeat, ſed huiuſmodi enormiſſimi Criminis abſolutionem nobis reſervamus.

5 Pro pœnis irrogandis contra Blaſphemos in foro Iudiciario, ſequentia ſtatuimus ex Conſtitutione Pij Quinti, quæ incipit *Cum Primum*. Blaſphemus ſi ſit Clericus beneficiatus, etiam in Sacris prò prima vice inquiſitionis privetur fructibus beneficiorum prò anno uno; pro ſecunda vice privetur ipſis beneficijs; Tertia vice ab omnibus dignitatibus deponatur, & in exilium ad tempus mittatur. Si verò nullum beneficium Eccleſiaſticum habet, pœna pecuniaria pro prima vice punietur; pro ſecunda vice, Carceribus mancipabitur, pro tertia vice verbaliter degradatus ad Triremes mittetur: hoc tamen intelligitur contra Blaſphemantes Deum, & B. Virginem, nàm contra blaſphemantes Sanctos pœnas arbitrio noſtro reſervamus.

Blaſphemiæ ſolet eſſe affinis libellorum fàmoſorum affixio, fabricatio, & publicatio, ex quibus in dies graviſſima damna emergunt: undè, ut huic tanto malo, quantum in nobis eſt occurrere poſſimus, ſingulos prædictorum libellorum Compoſitores, Scriptores, Affixores, Emuulgatores, pœnam excommunicationis nobis reſervatam ipſo facto incurrere.

DE

DE MALEFICIIS, SVPERSTITIONIBVS, INCANTATIONIBVS, ET DIVINATIONIBVS.

1 PRoditor Angelus humani Generis perpetuus Hostis propriæ eminentiæ tumidus ambiens principatum, & ſolium ſuper Aſtra Cœli elevare, & Altiſſimo ſe æquare; De Cœlo non ſolum pellere nititur, quos Deus advocavit, ſed in ſuperbia ſua pertinax divinitatis quoque umbram quotidie affectare non ceſſat; Huic operi miniſtros magos, & à catholica fide Apoſtatas appellatos ſibi ſervientes habens in ſervitutis ſtipendium præſtigioſam poteſtatem in ambigua prædictione futurorum, & falſa morborum curatione tribuit. Hinc itaque in mundum exivit monſtruoſa illa ars, & pactio cum illo fœderata ad formandas ligaturas, maleficia, faſcinationes, infrigidationes, & ægritudines humanis Corporibus, quas naturalis facultas ſanare non poteſt; ut ergo de medio Eccleſiæ Dei talem idolatriam, & infernalem tyrannidem eliminare, & expurgare poſſimus, quod ſequitur ſtatuimus.

2 Mandamus omnibus utriuſq; ſexus Fidelibus, quatenus, ſub pœna excommunicationis, nobis reſervata, denuncient, quos huiuſmodi crimine noverint inquinatos nobis, vel noſtro Generali Vicario, puta quos noverint committere opera ſuperſtitioſa Demoni ſpondendo obſequium, vel offerendo thus, & ſacrificia, ſivè condentes, vel condere facientes omne artefactum, in quo Demonem conſtringunt, & omnia alia, in quibus adeſt expreſſa, vel tacita Demonis invocatio.

3 Eamdem pœnam excommunicationis omnes cuiuſcumque generis ſint incurrant, qui maleficia, & quaſcumque magicas artes exercent, non ſolum cum expreſſa, ſed & cum tacita Demonum invocatione, præſertim ad matrimonij effectum impediendum, vel ad Theſauros inveniendos, vel utentes incantationibus, alijſque maleficijs ad opus quodcumq; faciendum. Imo, & ad id ſuadentes,

mandantes, vel quomodolibet auxilium, operamue præstantes.

4 In eandem excommunicationem incurrere decernimus omnes personas, quæ, vel per se, vel per alium de sanctissimo Altari Sacrato Chrismate, oleo Sancto, Sanctorum Reliquijs, sivè quacumque alia re consacrata ad veneficia, divinationes, sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, quomodolibet abutantur; Eosq; etiam, qui de prædictis ad prædictos fines aliquid alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime sequuto.

5 Strictè prohibemus omnem usum medicinæ, in quo adhibentur signa cum nominibus incognitis, sivè precibus, vel verbis quamvis sacris adiunctis, & Crucis signis. Vndemque medendi usum, qui non sit naturalis, & ex sua virtute vim ferendæ salutis non habeat.

6 Similiter inhærentes Constitutioni Xisti Quinti, quæ incipit (*Cœli*, *& Terra*) prohibemus divinationes omnes, præsertim, quæ fiunt per chiromantiam, & Iudiciariam Astrologiam prædicentes ex hominum Geneologijs, sub pœnis in dicta Constitutione contentis, & in alia Cōstitutione Vrbani Octavi, quæ incipit *Inscrutabilis*.

7 Notum facimus omnibus, & singulis in indice librorum prohibitorum regula nona, prohibitos esse omnes, & quoscumque libros, tractatus, & opera astrologica Iudicialia, qui de supradictis futuris contingentibus, & fortuitis affirmare docent; Cum in omnibus Astrologia ipsa divinatrix, sivè judiciaria sit prohibita nisi in casibus exceptis in citata Constitutione Xisti Quinti: Pari modo prohibitos esse libros Geomantiæ, Idromantiæ, Acromantiæ, Piromansiæ, Chiromansiæ, per quos, qui habuerint, vel alias habere sciverint ad nos deferant, sub pœna excommunicationis.

8 In prima Dominica Adventus, & Quadragesimæ, Parochi nostræ Civitatis, & Diœcesis explicent eorum crimi-

criminum atrocitatem, pœnasque infligendas, iuxta Gregorij Decimiquinti Constitutionem, quæ incipit *Omnipotentis Dei*. Ultra Censuras, & reservationem à nobis appositam; Et Astrologiam Iudiciariam profitentibus comminentur excommunicationem impositam à Xisto Quinto in præcitata Constitutione, & Vrbano Octavo in Constitutione, quæ incipit *Inscrutabilis*.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

1 EXperientia nos docet, complurimos Parochos immemores Euangelici præcepti: pasce oves meas, Parecias ambire, non ut oves Christi sanguine redemptas pascant verbi Dei prædicatione, sed, ut more luporum oves ipsas devorent; Immemores comminationis per Ezecchielem à Domino mutis Pastoribus datæ: Speculatorem dedi te domui Israel, audiens ergo ex ore meo sermonem annunciabis eis; Si me dicente ad impium: impie, morte morieris: non fueris loquutus, ut se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Vt Parochi in suis parochijs hoc munus à sacris Canonibus, & à Sacro Concilio Trid.(*a*) ipsis iniunctum non negligant, mandamus, ut singulis diebus Dominicis, & festis solemnibus oves suas verbo Dei pascant, Sanctum Dei Evangelium explanantes. Caveant ab huiusmodi contumacia: nam ul tra divinam indignationem, & ultionem pœna duorum aureorum plectentur prò qualibet vice; & si post tertiam vicem renitenus fuerint assignatione Æconomi punientur.

2 Nemo, sivè secularius, sivè Regularis quomodolibet exemptus audeat prædicare in Ecclesijs, Congregationibus, vel Oratorijs nostræ Civitatis, vel Diœcesis absque licentia à nobis, vel à nostro Vicario Generali habita in scriptis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ

---

a *Trid. sess. 3. de refor. c. 2. Greg. XV. const. 18. Inscrutabilis*

rendæ nobis reſervatæ.

Regulares in Eccleſijs, ſivè Oratorijs ſuorum ordinum, ubi Seculares interfuerint prædicare volentes, à nobis benedictionem prius petant; Quod ſi benedictionem non habuerint, prædicare non audeant ſub pœnis, & cenſuris eccleſiaſticis à Gregorio XV., & Clemente X. *(a)* inflictis.

3 Vniverſitates, & alij, qui exiſtunt in quaſi poſſeſſione præſentandi Concionatores, id adimpleant per totum diem Epiphaniæ Domini; alias pro illa vice nominatio ad nos devolvatur.

Inhærentes Decreto Sanctæ Diœceſanæ Synodi celebratæ anno 1710.

4 Mandamus omnibus Concionatoribus, nè tempore quadrageſimali audeant veſci cibis vetitis, ſub pœna privationis ab officio, alijſque arbitrio noſtro infligendis; nam bene dicendo, & male vivendo, ſcandali non ædificationis ſunt Populo.

5 Mandamus etiam, ut ea omnia obſervent, de quibus voluit ipſos eſſe monitos Innocentius XI. ſanctæ memoriæ, qui recentem modum prædicationis, tamquam à primævo Apoſtolorum Inſtituto prorſus aberrantem, ac univerſo Gregi exitioſum damnans literas à Sac. Cong. Concilij in fine præſentis capitis regiſtrandas mandavit expediri.

6 In Eccleſijs Monialium præcipuè nullo modo prædicent abſque noſtra ſpeciali licentia ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

7 Poſtremo nè prædicatio verbi Dei fiat in Deſerto, mandamus omnibus Eccleſiaſticis, ut ſingulis diebus ſaltem Dominicis, & in die Veneris aſſiſtant tempore Quadrageſimali ad audiendum verbum Dei.

DE

---

a *Citata Conſtit. Gregorii XV. & Clementis X.*

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

1 TVba Spiritus Sancti Paulus his verbis loquitur ſpiritualibus Animarum Miniſtris. *Qui non habet curam ſuorum, & præcipuè domeſticorum eſt infideli deterior*. Et Hyeremias Propheta his verbis exclamat: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. His verbis perterriti Rectores Animarum omnem curam, & diligentiam adhibere deberent in edocentis prima Chriſtianæ Doctrinæ Rudimenta Pueris, & Adoleſcentibus, ſed ò nimia admiratio! in multis Sanctis Viſitationibus Noſtræ Diœceſis invenimus Pueros, imo, & Adoleſcentes, quod credere debeant, & quomodo orare poſſunt, neſcire; Et licet ſuper his opportuna potiſſimum dederimus remedia, & mandata, etiam pœnalia Parochis, quibus permoti initium dederunt huic Sancto exercitio; In hac S.Synodo illius frequentationem, & continuationem juxta Sacri Concilii decreta deſiderantes mandamus.

2 Vt omnes, & quicumque animarum curam habent juxta præcepta Sacri Concilii Trid: *(a)* ſingulis diebus dominicis, & feſtivis de præcepto edoceant Pueros, cæteroſque indigentes prima fidei rudimenta ad præſcriptum brevis libelli Cardinalis Bellarmini iuſſu Clementis VIII.editi, & obedientiam erga Deum, & Parentes, & in ſalubri eruditione omnem operam, ac ſtudium adhibeant, convocantes propterea prædictis diebus poſt prandium ad ſonum Campanæ in Eccleſia, & Campanulæ intra fines Parochiæ ad doctrinam Chriſtianam Pueros, cæteroſque indigentes prædictos, quos omni charitate in Articulis, præceptiſq; fidei Chriſtianæ inſtruant, & confirment.

3 Volumus admonitos eſſe Animarum Rectores nè circa prædicta negligentes ſint: nam ultra ſtrictam rationem,

---

a *Seſſ. S.C.2.& ſeſſ.24.c.4.de refor.*

nem, quam Deo reddituri sunt, si bis, vel ter continuatim in diebus Dominicis ea omiserint, nisi fuerint legitimo impedimento detenti, pœna unius auri punientur prò qualibet vice, crescente verò contumacia per sex vices continuas, deputabitur Economus in eorum Parochia, aliisque remedijs à Tridentino permissis compellentur.

4 Parochis Oppidorum nostræ Diœcesis iniungimus, ut in diebus festivis in missa, quæ celebratur in Aurora recitent in publico Populi conventu, & alta voce ad majorem ipsius Populi Instructionem italico, & vulgari Idiomate symbolum Fidei, Orationem dominicalem, Salutationem Angelicam, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta, septem peccata capitalia, quinque Corporis sensus, & septem Sacramenta, ità clarè, & distinctè, ut ipse Populus possit singula facillimè repetere, sub pœna prò prima, secunda, & tertia vice carolenorum quinque, & Canonicæ correptionis, & si postquam contraveniens monitus non paruerit, ipso facto sit suspensus ab officio per mensem. Declaramus tamen, quod si quis eorum fuerit legitimè impeditus, possit substituere Clericum non ignarum ad hoc munus exercendum.

5 Clerici in minoribus constituti in Parochijs sibi assignatis, vel assignandis adiuvent Parochos in munere doctrinæ Christianæ, alioqui ad ulteriores Ordines non promovebuntur, & nullatenus dispensabitur, nisi attestationem habuerint à proprijs Parochis.

6 Inhærentes decretis Concilij Laterenensis sub Leone X. strictè præcipimus, & mandamus ludimagistris, ut semel saltem in hebdomada præcepta doctrinæ Christianæ explicent in suis scholis.

DE

DE RELIQVIIS SANCTORVM, ET EARVM CVLTV.

1 PAter ille misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, qui numerat multitudinem Sanctorum, & omnia ossa eorum nè unum ex illis conteratur, & qui non sinet Sanctos suos videre corruptionem sua reali munificentia Civitatem nostram decoravit duabus sanctis spinis de corona, qua Vnigenitus Filius suus Redemptor noster fuit in die suæ Sanctissimæ Passionis coronatus; Quarum veneratione per triduum, & pluviam, & serenitatem, prout ei magis expedire videbitur ad fœcunditatem segetum, & vindemiarum impartiri dignatur: Et complurimis Sanctorum Reliquijs, quæ viva Spiritus Sancti Templa sunt, & divinæ gratiæ receptacula; Quarum cultu duliæ rorem suæ benedictionis infundit. Verum, ut Reliquiarum iste Thesaurus Hyerosolimitani Templi Gazzofilacio multo præstantior auro obrizzo plus ditescat, sequentem praxim servandam esse statuimus.

2 De Sacris Reliquijs, puta de Sanctis Spinis, de Divo Othone, de Sancto Eleazzaro, de S. Elena Virgine, de qua ossa sui Corporis numero septuaginta in Vrna devotissimè ornata, & in Altari maiori Cathedralis Nostræ reposita ab Illustrissimo Domino Simone Viglino Episcopo Trivicano die vigesima tertia Octobris 1713., quo die ipse Antistes Cathedralem Nostram Ecclesiam sub patrocinio, & titulo Deiparæ Virginis Assumptæ rogatus consacravit, De Sanctis Nereo, Achilleo, Domitilla, & Pangratio, quibus Cathedralis nostra qualitate conspicuis refulget, Officia anno quolibet ex Prædecessorum Nostrorum institutione peragenda hoc Synodali decreto in suo robore volumus permanere.

3 Ex probatis Authoribus legimus caput Joannis

 Bapti-

Baptistæ in disco Herodiadem expetisse, ut quem indecorè occiderat pretiosè gestaret. Hinc pudeat Exemplum non trahere Sacras Sanctorum Reliquias congruè recondendi. Sint ergo Sacræ ipsæ Reliquiæ *(a)* in Tæcis argenteis, vel ligneis Auro circumornatis: Vnaquæque sui nominis præseferat inscriptionem: non nisi ex cristallo ipsarum pateat aspectus; quique eas vasibus minus decentibus inclusas habent, curent infra sex menses decentius, quo supra, reponi; alias ipso termino elapso earum publicam adorationem suspendimus absque ulla alia declaratione.

4 Quando fieri debeat expositio earum non fiat nisi cereis facibus circumardentibus *(b)*, & dum ad Altaria deportantur, vel deponuntur, associentur pariter luminibus accensis, nec deportentur, nisi à Sacerdote superpellicio, & stola induto, à quo post expositionem recitabitur Antiphona, versus, & Oratio congruens.

5 Nullus Sacras Reliquias Ecclesiæ, vel earum particulas donare, vel surripere præsumat sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda nobis reservata. *(c)*

6 In die Sollemnitatis festi Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, vel alterius Sancti, de quo ipsius Reliquia conservatur devoto Populo osculanda demonstretur à Sacerdote superpellicio, & stola induto, qui hanc orationem proferat, per intercessionem S.N. liberet te Dominus ab omni malo.

7 Laicis omnimodè prohibemus *(d)* Sacras Reliquias tangere, clavesque Armarij, in quo ipsæ detinentur pe-

nes

---

a 4. *Concil. Provinc. Mediolanen. S. Caroli par. 1. hoc tit. Innoc. 3. in Concil. Lateranen. c. 62. c. 1., & 2. de reliquiis, & veneratione.* b 4. *Concil. Mediolan. loc. cit.*
c *Innoc. 3. c. 2. de reliquiis, & veneratione SS. S. Gregor. Papa l. 3. epist. 30.* d 4. *Concil. Provinc. Mediolanen. loc. cit.*

nes ſe habere; ſed penes Eccleſiaſticos ſtent. Quod ſi conſuetudo ſit, aliquem ex laicis facultatem habere, Clavem prædicti Armarij detinendi; infra menſem in Armario prædicto apponatur alia Clavis à Præfecto Eccleſiæ detinenda ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda nobis reſervata, Opponentibus, reſiſtentibus & auxilium dantibus.

8 Propè Armarium pendeat tabella cum indice Reliquiarum cum Antiphonis,& Orationibus eorumdem Sanctorum, ut veneraturi reliquias recitari poſſint.

9 Cũ noſtri Animi mærore audivimus Reliquias aſportari ad Egrotos, ut ipſas devotè venerentur; at cum hoc ſit expreſsè prohibitum à Sac.Congregatione Epiſcoporum die ſeptima Decembris 1591., inherentes huic decreto ſtrictè prohibemus Reliquias devotionis titulo ad Infirmos deferri abſque noſtra licentia ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis.

10 Qua pietate, qua reverentia colendi ſunt Sancti Reliquiæ,quorum habentur in ipſa Eccleſia, & de virtute, & meritis apud Deum, Parochorum, & Concionatorum munus ſit ſępè Populos monère.

11 Curent Parochi, cæterique Eccleſiarum Præfecti infra trium menſium ſpatium à die publicationis Synodi tranſmitti Catalogum Reliquiarum in Noſtro Archivio reponendum ſub pœna ducatorum ſex,pijs uſibus.

DE CVLTV,ET OBSERVATIONE FESTORVM.

INter alia miranda in noſtra Civitate, & Diœceſi cum ſit præcipuus cultus,& veneratio Sanctorum, & præcipuè Deiparæ Virginis Mariæ, quæ ex ſinceris Fidelium cordibus hyperduliæ cultum exigit; necnon Divi Othonis ſupremi, & nunquam ſatis venerandi Patroni, aliorumque numinum Tutelarium, quorum adjutorio in acerrimis calamitatibus, & uberrima cœle-

ſtium benedictionum elargitione impetranda ipſamet Diœceſis eorum ſcuto circumdata, ſpecialem Patrocinium agnoſcit; Omni ſtudio curandum eſt, nè ille charitatis effectus frigeſcat, & Populi verus ille cultus in diebus feſtivis celebrandis nõ corrumpatur, idcircò operæ pretium erit debitæ devotionis incremento, & defectibus, qui in dies in obſervantia Feſtorum committuntur opportunè providere.

2 Scient omnes (a) initium, & extenſionem dierum Feſtorum incipere à dimidio præcedentis noctis, & finem habere ad dimidium ſubſequentis.

3 Dominicum diem, quem Eccleſia Spir. Sancto edocta in Sabbata ſuffecit, necnon, & alia feſta, quæ inſtituit ad excolenda novi Teſtamenti myſteria ſtrictiſſimo Jure obſervanda eſſe in commiſſi ſibi Populi mentem reducere Parochi non omittant, eos edocendo, à quibus operibus eſt abſtinendum, & in quibus debent exerceri; ſimiliter quàm abſurdum ſit diebus ad animarum ſalutem ordinatis abuti ad interitum indulgendo Choreis, commeſſationibus, ebrietatibus, ludis, & ſpectaculis.

4 Curent etiam tùm publicis, tùm privatis admonitionibus radicitùs extirpare pravam conſuetudinem, quam nonnullæ Perſonæ, & præſertim mulieres ſequuntur, quæ prætextu honeſtatis, aut convenientiæ negligunt diebus feſtis ſacrum audire; quos prætextus, & corruptelas Confeſſarii etiam ſubmovere teneantur, graves injungendas pœnitentias, ne dum Traſgreſſoribus, verum etiam, & cooperantibus.

5 Et quia inter feſtos, & feriales dies nulla diverſitas dignoſcitur præ multitudine laborantium (ut utamur verbis in Synodo à noſtro prædeceſſore Emanuele Brancacio

(a) *Cap. Quoniam* 2. *de feriis. c. conſuluit* 24. *de officio, & poteſtate Judicis delegati.*

 1667.

cacio Typis emanato anno 1666. cap. 4. hujus tituli) mandamus omnibus, & ſingulis noſtræ Diœceſis, ne in diebus feſtivis de præcepto audeant quæcumque opera ſervilia facere ſub pœna unius libræ ceræ albæ elaboratæ pro qualibet vice, & venditoribus rerum vendi prohibitarum in prædictis diebus, prædictam pœnam imponimus, applicaudam locis piis, quarum applicatio pœnarum fiat nobis, vel noſtro Vicario Generali conſultis.

6 Noſtris Officialibus, & Vicariis Foraneis volumus innoteſcere ex triplici dumtaxat cauſa operandi diebus feſtivis ipſis licentiam concedere eſſe permiſſum; Quando, aut pietas ſuadet, aut neceſſitas urget, aut publica exigit utilitas: quòd ſi extra hos caſus licentiam ipſam impertiri præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ſe ſciant incurſuros; (a) Cauti autem ſint Vicarii Foranei in caſibus permiſſis licentias concedere, prò quibus concedendis, ut ſupra nihil recipiant, etiam ſpontè oblatum ſub pœna carceris formalis per menſem, & reſtitutionis dupli.

7 Non liceat Vicariis Foraneis mulctas, & pœnas à Traſgreſſoribus dierum feſtorum, quo ſupra eſactas in toto, vel in parte ſibi appropriare, ſed eas exigant juxta taxam Sanctæ Synodi nihil addendo, vel minuendo, & tertiò quoque menſe ad noſtram Curiam deferant notam in ſcriptis talium pœnarum, ut applicatio fieri poſſit; Alioquin non deferentes ultra pœnam dupli, aliam quoque carceris arbitrio noſtro ſubibunt.

8 Exequutiones perſonales, sivè regales nullo pacto, prætextuq; in causis Civilibus fiant in his diebus, etiam cum experientia cognoverimus homines hujuſmodi vexationis metu à conveniendo in Eccleſias deterreri, & præcepto audiendi miſſas non ſatisfacere, ſub pœna excommunicationis. 9 Cir-

---

a *S. Congreg. die 12. Martii 1601. & in Synodo Diœceſana 1665. hoc tit.* 1666.

9 Circulatores, alijque utriusque sexus Istriones non audeant diebus festis (a), nec tempore Quadragesimali propè Ecclesias publica exibere spettacula sub quavis occasione, aut prætextu scamna componere, aut conscendere, publicè nugari sub pœna excommunicationis à nobis infligenda.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

1 Æterni Genitoris Coæternus Filius de sinu Patris descendens, Spiritus Sancti cooperante virtute, Virginalem Vterum non abhorrens, de Virgine nasci dignatus est, ut hominem, quem ad sui Imaginem in Paradiso Voluptatis formaverat in perditionis laqueũ lapsum à dęmonis captivitate liberaret; Pellicani more suum Sanguinem pretiosum in Ara Crucis effudit, mortemque subivit, ut homo in spiritualem vitam revocatus, in illa posset permanere per gratiam: veluti præservativa remedia septiformis gratiæ simbola, septem instituit Sacramenta, in quibus omnis gratia, vel incipit, vel inceptâ augetur, vel amissâ reparatur; pretium igitur cum sint Sanguinis Vnigeniti filij Dei, nefas Iudæ se renovare intelligant, qui ea non dubitarint polluto ore conficere; aut fædis manibus contrectare.

Quapropter studeant Animarum Auctores Sacramentorum, dignitati, institutioni, & usui ità prospicere, ut in eorum administratione sic se gerant, ut eos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei;& si Angelorum dignitati pręcellunt; cum Angelis timeant, tremant, & contremiscant.

2 Semper agnoscant Omnipotentis Dei indignationem incurrere, qui prompti sunt ad Causas æternæ salutis tractandas, dum nulla intermedia spirituali præparatione

a Can. irreligiosi de consecratione distin. 3.

tione de Platea ad Altare accedunt. Quicumque igitur hæc Sacramenta sunt administraturi in preces prius effusi, reminiscantur Spiritus Sancti dicta Exod. 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne fortè percutiat eos; ideoque præmissa Sacramentali Confessione, Auctorem sibi faciant propitium.

3 Illud præcipuè sciant, quod ad Sacramentorum essentiam, ipsorumque rituum observantiam pertinet, & in illorum administratione utantur cæremonijs in Rituali Romano (a) præscriptis, quibus nihil addere, detrahere, vel immutare præsumant, & multò minus quæ ad Sacramentorum essentiam pertinent, sed illa, distinctè, ac devotè pronunciabunt. Propterea mandamus, Animarum Rectoribus, ut Rituale Romanum, iussu Pauli V. æditum penes se habeant, non laceratum, neque deturpatum: dictaque Sacramenta superpelliceo, & stola induti administrent; alias gravibus pœnis arbitrio nostro punientur.

4 Quilibet Minister sciat, quæ ad Sacramentorum materiam, formam, & intentionem pertinent (b), & qui requisitam scientiam neglexerint, ultrà grave peccatum, acriter arbitrio nostro corripientur, ut Devotio, & Cultus Sacramentis debitus excitetur in Animis suscipientium. Parochi inter Missarum solemnia, & dum Doctrinam Christianam edocent prò suscipientium capacitate explicare non negligant vim, utilitatem, & salutares effectus illorum, nec non dignitatem, & institutionem, ac requisita, ad illorum dignam receptionem, præcipuè autem eos, qui ea non dum susceperunt.

5 Parochi quacumque hora, diei, vel noctis, in propria Parochia, vocati fuerint ad Sacramenta administranda prom-

---

a *Can. nolite dist.* 11. *c. tribus gradibus de consecratione dist.* 2. *Trid. sess.* 7. *can.* 11. & 13.

b *Can. licet de electione in* 6.

prompto Animò accedant nullam moram interponant prò hoc tantæ pietatis officio (*a*), ſub pœna ſuſpenſionis; à Nobis infligendæ, & prò maiori contumacia, etiam Carceris formalis noſtro arbitrio, dūmodo adſit inconveniens. Etiam non vocati infirmos propriæ Parochiæ viſitent, (*b*) & ad Sacramenta ſuſcipienda permoneant: Si autem quempiam contigerit mori abſque præſidio Sacramentorum ob defectum Parochi, pœna Carceris formalis per menſem punientur, & non aſſignatione Economi per ſex Menſes.

6 Quanta ſit potentia Dęmonis in animabus captandis, & præcipuè in ultimo agone ex ſanis hiſtorijs dari patet; quapropter ſtrictè mandamus omnibus Animarum Rectoribus, (*c*) ut quando contigerit aliquem ex ſuis Parochianis ex hac ad aliam vitam eſſe migraturum, continuò illi aſſiſtant, & ipſis legitimè impeditis per alium Sacerdotem in commendatione Animæ. Sic ſervent, aliàs prò prima vice arbitrio noſtro punientur; prò ſecunda vice pœnam ſuſpenſionis ab officio arbitrio noſtro incurrant.

7 Et quia non licet mittere falcem in meſſim alienam, nemo ex Parochis abſque noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia Sacramenta in aliena Parochia miniſtret, niſi neceſſitate urgente, vel proprio Paroco conſentiente. Nullus Regularis quovis prætextu audeat Sacramenta miniſtrare infirmis, præter neceſſitatis caſum, ſub pœnis in Sacris Conſtitutionibus ſtatutis, irremiſibiliter exequendis.

8 Caueant Sacramentorum Miniſtri, nè quidquam etiā minimum, directè, vel indirectè expoſcant, vel recipiant pro

a *Can. divinis 25.q.1.Concil. Lateran. 3. can. 13. Trid. ſeſſ.6.c.2. & ſeſſ.23.c.1.* b *Can. ſi Presbiteri. c. agnovimus 26.q.6.* c. *Can. Quicumque de conſecratione diſtinct.4.*

prò Sacramentorum administratione, memores Isaiæ Prophetæ(*a*) dicentis, qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.

9 Sint vigiles omnes Curati incautè custodiendis Sacramentis,& Sacramentalibus, benè ea loco tuto tuendo cum Clavibus, quas semper penes se retineant, nec alijs tradant, nisi in absentiam, tunc ijs Sacerdotibus dumtaxat, qui ad audiendas Confessiones Sacramentales sunt approbati, & meminerint non aliter Sacerdotem in Sacris literis esse comendatum, nisi quia erat cor eius pavens prò Arca Dei: (*b*) contrà facientes arbitrio nostro punientur.

10 Et quia non sunt admittendi ad Sacramenta suscipienda, qui principaliora nostræ Fidei documenta nesciunt, & hoc sub reatu pœnæ æternæ; ideòque strictè jubemus Curatis omnibus non admittere aliquem (*c*) ad Sacramenta suscipienda, qui ignoraverit ea omnia rudimenta fidei, quæ ad salutem sunt necessaria, quod si pro senectute, aut ingenii tarditate aliquis incapax extiterit,in hoc casu curent Parochi,ut adminùs talium Præceptorum substantiam intelligat: Ità servent, aliàs Deus sanguinem eorum, & Pastorum manibus exquiret.

11 Quilibet Parochorum habeat in sua Parochiali Ecclesia Clericum bonæ vitæ, & morum, cum habitu, & Tonsura incedentem, quem in administratione Sacramentorum ad Infirmos semper ducat secum cum habitu, Tonsura, & superpellicio mundo, sub pœna carolenorum viginti piis usibus.

12 Sacramenta ipsa, & Sacramentalia, si quis quoq; modo aliis abutenda tradiderit, (*d*) & qui assumpserit, & qui tradiderit excommunicationis sententiam, Nobis

D reser-

a *Cap.55.* b 1.*Reg.4.* c *S.Congreg.Episcopor. & Regul.*10.*Martii* 1703. *jussu S.D.N.Papæ Clem.XI.*
d *Synodus Diœcesana an.*1669.*hoc tit.* 1665.

reservatam ipso facto incurrant. Et si quis, quod absit, id efficiat in ipso Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, illud ad abutendum tradendo, si Ecclesiasticus sit, ultra mucronem excommunicationis, pœna triremium, pro gravitate delicti punietur.

13 Rectores omnes nostræ Diœcesis, non alio, quam ad nostram Cathedralem Ecclesiam, quæ aliarum est Mater, & Magistra, (a) pro Sanctis Oleis accipiendis, mittant: nec alium, quàm Sacerdotem, qui teneatur ad nostram Cathedralem Ecclesiam se præsentare in feria quarta majoris hebdomadæ, ut in Feria quinta in Cœna Domini deservire possit Nobis in peragendis sanctis Oleis, in officio à nostro Magistro Cæremoniarum sibi assignando, sub pœna librarum decem ceræ albæ laboratæ,& aliis arbitrio nostro. Et vascula pro eisdem oleis recipiendis sint saltem stamnea, munda, benè cooperta in capsa: quæ capsa cum ad Cathedralem ob Olea sacra percipienda, clavis includatur in Epistola, proprio sigillo munita, ac ad nostrum Vicarium Generalem directa, à quo comodo transmittetur ad ipsum, ut sic res sacræ omni periculo vacuæ remaneant.

14 Sacerdos hoc modo, quo suprà, recipiens sancta Olea, deferat superpellicium, & lanternam accensam usque ad Oppidum, ad quod illa deferre debet;& non concurrentibus supradictis omnibus Olea ipsa non consignentur.

15 Mandamus distributori sanctorum Oleorum, ut nihil, etiam spontè oblatum, & quocumque titulo recipiat, ut Sacra Cong. Concil. prohibuit die sexta Decembris 1604.

16 Post Feriam quintam in Cœna Domini (b) unusquisq;

---

a *Synodus* Diœcesana *an.*1610. *hoc tit.*
b *S.Congreg.die* 20.*Martii* 1590. *ut ex Synodo Caputaquensi anni* 1649.*hoc tit.n.*13.

quisq; Curatus receptis sanctis Oleis, vetera comburat, neque illis ampliùs utatur, sub pœnis arbitrio nostro.

17 Regulares omnes nostræ Civitatis à nemine, præterquam à nostra Cathedrali Ecclesia recipiant Oleum Infirmorum, juxtà antiquissimam Consuetudinem, quod si secus factum fuerit, dantes carceri formali per mensem punientur.

18 Deputatus in nostra Cathedrali ad Olea Sancta dividenda, habeat penes se librum, in quo manu propria Nomen adnotabit illius, qui ad illa suscipienda advenerit, & prò quo illa suscipiat *(a)*, qui liber in nostro Archivio postea reponatur.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

1 QVoniam, Teste Apostolo, per unum hominem intravit peccatum in Mundum, & per peccatum mors, quæ in omnes pertransit, in quo omnes peccaverunt, & omnes nascimur filij Iræ; Et iuxta Sanctorum Patrum unanimem consensum, & Sac: Conc. Trid. Decretum, Originalis peccati reatum, ex prævaricatione Adæ omnes contrahunt, & per propagationem in omnes transfunditur non aliter quisq; in Regnum Cœlorum introire potest, ipso Domino Teste, quam per lavacrum Regenerationis, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei, & per hoc lavacrum homines fiunt hæredes Dei, & cohæredes Christi. Vt verò immensum hoc gratiæ Donum, quod in filios adoptionis effunditur, ritè suscipiatur enixè curent Parochi, hanc primam post naufragium Tabulam omni qua decet sollicitudine infantibus porrigere cum dilatione Baptismi æternæ iacturæ periculum adsit. At si aliquem contigerit culpa Parochi absque Sacramento Baptismi

D 2 mori

(a) *Synodus Diœcesana an. 1669. hoc tit. in fine.*

mori, volumus ipſum pœnam ſuſpenſionis ab officio ipſo facto incurrere, & alias graviſſimas noſtro arbitrio.

2 Licèt Sacramentum Baptiſmi, dummodò idonea materia, forma, & Baptizantis intentio adſit, in quolibet loco miniſtrari poſſit, (*a*) attamen, ut omni, qua decet reverentia miniſtretur, mandamus, ut nemo, excepto neceſſitatis caſu, hoc Sacramentum miniſtrare poſſit in alio loco, præterquam in Eccleſia, in qua eſt Fons baptiſmalis, neque ante, neque poſt Solis occaſum, ſub pœna noſtro arbitrio.

3 Licet in hoc Sacramentò Baptiſmi, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii (*b*) ad æternam ſalutem conſequendam, Miniſter eſſe poſsit quicumque, & cujuſcumque ſexus, attamen Miniſter ex officio primò eſt Epiſcopus, poſt Epiſcopum Parochus, poſt Parochum Sacerdos poſt Sacerdotem Diaconus, ità quod laicus extrà neceſſitatis caſum, hujuſmodi munus uſurpans ſacrilegium cōmittit. Nos autem inhærendo aliis Conſtitutionibus Synodalibus, ſtatuimus, ne Sacerdos, quilibet; ſive ſæcularis, ſive Regularis Sacramentum hoc ſolemnitèr miniſtrare poſsit, abſque Parochi expreſſa licentia, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

4 Parochorum propria cura ſit, ne Infantes ſint (*c*) in periculo decedendi abſque certa ſpe hæreditatis æternæ, Parentes ſæpiùs monere, nè diu differant propriis filiis regenerationis lavacrum. Parentibus igitur ſtrictè præcipimus, nè ultrà tres dies filios natos Baptiſmo in Eccleſia ſuſcipiendo fraudent, aliàs excommunicationis gladio per nos feriendos eſſe, ſciant. Parochi verò, de hujus Decreti obſervantia, ſi contigerit, Nos certiores ſa-

---

a *Can. Clericos de conſecrat. diſt. 1. Clem. unic. de Baptiſ. Rit. Rom. loc. cit.* b *Synodus Sipontina An.* 1678. *hoc tit.* §. 3. c *Eug. IV. Conſtit.* 23. *Cantate de concordia Jacobitarum cum Eccleſia Rom.*

faciant, sub pœnis arbitrio nostro.

5 In Ecclesiis baptismalibus benedictio Fontium(a) omninò fiat in Sabbatis majoris hebdomadæ, necnon Pentecostes ritu solemni, juxtà præscriptum Missalis Romani.

6 Quoties Pueris institerit periculum mortis, (b) & fuerit ministratum hoc Sacramentum domi privatim, pro supplendis cæremoniis, & ritibus Sacris, infrà quatuor, saltem dies, pueri ipsi ad Ecclesiam deferantur, & cum à Parocho suppleantur cæremonia in Ecclesia, idem nomen domi impositum, iidem Patrini adhibeantur.

Strictè prohibemus, ne Parochi, (c) aliique Sacerdotes baptizantes, nomina imponant Baptizatis, quæ non sint Sanctorum in Martyrologio descriptorum; ut eorum exemplis excitentur ad piè vivendum in Terris, & patrociniis protegantur in Cœlis.

7 Mandamus etiam Animarum Rectoribus, ut librum habeant, (d) in quo antequam baptizatus discedat ab Ecclesia, notent annum, diem, mensem, nomen baptizantis, baptizatique, ejusque Parentum, & Patrinorum, servata forma Ritualis Romani, qui liber conservatur in Ciborio sacri fontis, in sacra Visitatione, singulis annis præsentandus. Ex quo libro cum fuerint requisiti, & extrahant collati baptizati testimonium, pro scriptura ad plus duos carolenos recipiant, sub pœnis contentis in tit. de Sacramento Ordinis.

8 Parochis notum facimus, à Patrini munere esse repellendos excommunicatos, interdictos, infames, & qui in

---

a *Rit. Rom. de Baptis. S. Leo Epist. 4. ad Episc. Siciliæ.*
b *Ex quarto Concil. Provinc. Mediol. S. Caroli hoc tit p. 2. §. Infantis.* c *Synod. Caputaquensis* 1649. *hoc tit. n.* 6. d *Prima Synod. Provinc. Mediol. p. 2. hoc tit. & instructio de Baptis. inter acta Mediolan. p.* 4. *§. notabit.*

in illo actu arma deferunt, vel qui Fidei Christiana rudimenta ignorant, vel quis annuam communionem explevisse non constet, & minores quatuordecim annorũ. Præterea ad Ritualis præscriptum ab iis admittendi non sunt quicumque Regulares, (a) nec Sanctimoniales, procurationis mandato, sub pœna carceris formalis per mensem.

9 Plures Compatres ad elevandum puerum de sacro Fonte à Parocho non permittantur, pròut ex mandato Sac.Conc. Trid. (b) sed unus tantum, sivè vir, sivè mulier, vel ad summum unus, & una in patrini officio sint. Caveant de contrario, quos patrinos Parochus monere teneatur non solum de cognatione, sed de obligatione erudiendi susceptum in Fidei rudimentis, &c.

10 Nemini liceat Infidelem adultum (c) baptizare extrà necessitatis casum, nisi priùs instructus fuerit in rudimentis Fidei, & absque nostra prævia speciali licentia.

11 Expositi sub conditione baptizentur, (d) quamvis fuerint cum schedula suscepti Baptismi reperti. Illud verò nomen eis imponatur, quod in ea schedula fuerit inventum.

12 Quicumque in necessitatis casu (e) baptizaturi sint, meminerint, posse quamlibet partem corporis, quantumvis minimam, etiam pellibus secundinis involutam, puta manum, pedem, vel digitum aqua abluere, prolata for-

a *Concil. Provinc. Mediolanen. c. p. 2. hoc tit. & instrut. de Baptis. inter acta Mediolan. p. 4. S. Pius 5. Constit. 24. cum illius.* b *Trid. sess. 24. de reform. Matt. c. 2.* c *Cap. Majores de Baptis. c. omnis cum sequenti de consecratione d. 4.* d *S. Greg. lib. 12. ep. 32. c. Parvulos cum seq. de consecr. dist. 4. c. de quib. de Baptismo. Rosar. Ricc. Pepuli loc. cit. num. 7.*
e *Rit. Rom. de Baptis. Parvuli.*

forma baptiſmi. Attamen Parochus talem infantē ablutum, (a) ſi vixerit, non omittat conditione adhibita baptizarē.

Obſtetricis munus nulla fœmina in poſterum exerceat abſque licentia noſtræ Curiæ, ſub pœna excommunicationis, & approbata per examen juxtà normam in appendice apponendam.

13 Similiter mandamus, ut Obſtetrices, quæ actu hòc munus (b) exercent in noſtra Civitate, & Diœceſi, infrà menſem à die publicationis noſtræ Diœceſani Synodi, ſub pœna excommunicationis accedant ad examen juxtà præſcriptum in antecedenti noſtro decreto.

14 Monitas volumus à Parochis Obſtetrices, cum Infantem deferunt (c) ad ſuſcipiendum Baptiſmum, ne ſuper illos aliquid imponant, quo poſteà in maleficiis abutantur; Et ut Obſtetrices dicunt pro remediis. Inſuper impoſterum Parochi caveant ne ſal benedictum reſtituant, (d) vel laicis tradant, ſed in ſacrarium proiiciant.

15 In Eccleſiis Parochialibus, (e) ubi adeſt Fons Baptiſmalis, ſit ipſe lapideus, & Sacrario conjunctus, ſi commodè fieri poteſt, & ſuper illum tabernaculum cum clave, quæ ſemper ſit penes Parochum, in quo tabernaculo conſerventur vaſa Oleorum ſanctorum pro Baptiſmate miniſtrando, liber Baptizatorum, tobaleæ mundæ, & nitidæ, & omnia alia pro talis Sacramento miniſtrando neceſſaria.

At quia in noſtra Civitate quamplures Eccleſiæ Parochiales, non habentes Fontem Baptiſmalem tenentur ad noſtram Cathedralem Eccleſiam adire, prò Ba-

ptiſmi

a *Roſarius* Riccius *Pepoli in praxi Eccleſ.c* 6.*n*.6.
b *Roſarius Ricc.Pepoli in ſua praxi Eccleſ.cap.6.n.* 1.
c *Synod.Diœceſ.*1669.*hoc tit.* d *Rit.Rom.hoc tit.§.Sal.*
e *Syn.Diœceſ.*1669. *hoc tit.*

+ 15 per pro 1616 ... of ...

ptismi Sacramento ministrando, ut ex antiquissima consuetudine; Propterea mandamus ipsis Parochis, ut nullibi præterquàm in nostra Cathedrali suis filianis hoc Sacramentum solemniter ministrare possint, absque licentia Domini Archipresbyteri, sub pœna carolenorum quinque piis usibus.

16 Inhærentes Sacris Constitutionibus *(a)* strictè prohibemus, Parentibus, & Nutricibus, ne puerulos ante annum completum, secum in uno lecto retineant, absque cautela, & repaulo. Qui contra fecerint sciant à nemine ex Confessariis absolvi posse, cum hic casus sit Nobis expressè reservatus in hac nostra Sancta Synodo, in titulo de casuum reservatione.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

1 UT adversùs diaboli continuos impulsus Christifideles regenerationis lavacro in Sacramento Baptismi recepto per virtutem Spiritus Sancti strenui fiant Atletæ, eos Spiritus Sancti gratia in sacra Chrismatis unctione roborat. Baptismi Sacramento homo regeneratur ad vitam, Confirmatione roboratur ad pugnam adversùs Principem tenebrarum, adversùs carnem, & sanguinem. Primæ post naufragium Tabulæ Sacramentum per se sanctificat, & ad beatam, tranquillamque pacem perducit. Confirmatio igitur, & armat ad pugnam hujus mundi, ad publicè confitendum Christi vexillum, & Evangelium, contrà eum, qui circuit quærens, quem devorat. Quare studeant, qui Commilitones Redemptoris esse volunt, roborare Animam per validam tanti Sacramenti gratiam, & post pugnam cum victoria, cum Apostolo proferant, Reposita est mihi corona justitiæ.

2 Cum

a *Cap. relatum de his, qui filios occiderint, can. consulisti 2. q. 5.*

2 Cum paſtorale debitum expoſtulet: Parochos teneri (a) ſuo Gregi ſuggerere, quæ conducere quoquo modo poſſint ad conciliandam huic Sacramento venerationem, & ad illius ſpirituales conſequendos effectus in vitam æternam. Nos autem ipſimet ſub pœna aureorum duorum, mandamus, ut ſingulis diebus Dominicis à Paſcha, uſque ad Pentecoſtem in doctrina Chriſtiana, Populum inſtruant virtutem hujus Sacramenti, juxtà methodum in fine doctrinæ brevis, Cardinalis Bellarmini deſcriptum.

3 Cum verò ad eorum notitiam pervenerit, Nos ſacrum Chriſma eſſe collaturos (b), indicent inter Miſſarum ſolemnia omnibus hoc Sacramentum ſuſcepturis, ut ad ſe quamprimum cum ſuis Patrinis, aut Matrinis accedant inſtruendi ſuper, quæ ad ſacram hanc rem ſunt, ut ſanctum Chriſma redundet in eos, (c) ſicut unguentum, quod deſcendit in barbam Aaron, uſque in oram veſtimenti ejus.

4 Suſcepturis hoc Sacramentum innoteſcere volumus ex oleo, quod Conſcientiæ nitorem, & Balſamo, quod bonæ vitæ odorem ſignificat ſacrum Chriſma conflari; ideòque qui hoc ungendi ſunt, ſi doli ſunt capaces priùs mundent propriam conſcientiam per ſacramentalem confeſſionem, ac exuant veterem hominem, ut poſſint dicere, (d) Chriſti bonus odor ſumus.

5 Quando à Nobis per ædictum indicta fuerit dies adminiſtrationis ſacri Chriſmatis, mandamus, ut Parentes, aut alii, ſub quorum tutela, & educatione ſunt pueri, (e) dummodò illi ſint ſeptem annorum, ad Nos præſentent hoc Sacramentum ſuſcepturos, nec differant eos

E pri-

a *Conc. Provinc. S.Caroli p.2 hoc tit.* & *inſtruct. de Sacram. Confir.* §.*primum.* *Roſar. Ricc. Pepoli in ſua praxi Eccleſ. c.6.n.1.* c *Pſal.132.* d *2. ad Cor.2.*
e *Roſar. Ricc. Pep. loc. cit. n.2.*

privari gratia Sacramentali, ultrà annum duodecimum. Parochis autem sub pœna arbitrio nostro injungimus, ut ad Nos deferant notitiam eorum, qui differunt ultrà tempus præscriptum, quò supra pueros præsentare, pro Sacro Chrisma suscipiendo.

6 Hoc Sacramentum suscepturi, nec non Patrini, vel Matrinæ, infrà octo dies antè se subiiciant (a) examini Parochi suæ Parochiæ, tùm circa ea, quæ de hoc Sacramento scire tenentur; tum etiam circa principaliora nostræ fidei Rudimenta; quæ si scire invenerit, Parochus tradat schedulam manu sua subscriptam, in qua nomen, & cognomen confirmandi, nec non Nomen Patrini, vel Matrinæ expressum sit, quæ schedula nobis approbatio autentica erit de requisitis, tùm Confirmandi, tum Patrini, vel matrinæ. Caveant Parochi in tradendis his schedulis, nam rationem Nobis erunt reddituri, si aliquem ex Confirmandis invenerimus non esse talem, qualem ipsi sunt testificati.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

1 Dominus noster Jesus Christus, cum esset transiturus de hoc Mundo ad Patrem, & dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos, relinquens memoriam suorum mirabilium, tradens post esum Agni Paschalis Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini discipulis suis sumendum. Magna igitur est hujus Sacramenti excellentia, quia ipsius sumptione non carnes Ircorum, aut Taurorum, sed verus ille Agnus innocens, qui pro redemptione Mundi se ipsum obtulit in Ara Crucis æterno Patri, sumitur. Quo non manna, quod Patres nostri manducaverunt, & mortui sunt, sed ipse Chri-

a *Rosar. Ricc. Pep. loc. cit. n.* 4.

Christus à sumente non divisus, integer accipitur Quod fide non sensibus æstimandum est, juxtà Angelicum Doctorem; Quod non capis, quod non vides animosa firmat Fides præter rerum ordinem. Quanta igitur Animæ puritate accedendum est ad istam sacram mensam Divinam, audiant Christifideles Apostolum: Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat; nam si non mundo corde quis sumere ausus fuerit, Judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

2 Parochorum igitur potissima cura erit, ut admirabilis hujus Sacramenti Majestatem, & virtutem Populũ sibi creditum edoceant; ac ipsum pro viribus inducant ad sæpiùs se communicandum; monentes eum non nisi per Pœnitentiæ Sacramentum, detersis Animæ maculis ad Agni immaculati delicias esse accedendum. Concionatoresque sæpè de hujus Sacramenti administrabili fructu Populos admoneant; quod si negligentes fuerint, primi, arbitrio nostro punientur; secundi, sciant nullam spem esse habituros Concionarii in nostra Diœcesis.

3 Præcepto Divino Eucharistiam sumere (*a*) Christifideles nemo est, qui dubitet, licet Christus Dominus Ecclesiæ judicio reliquerit determinandum tempus obligationis: & hoc tempus olim erat ter in anno, ut patet ex Canone (*b*), & si non frequentiùs: In Pascha videlicet, Pentecoste, & Nativitate Domini: Deindè hoc tempus determinatum fuit à Concilio Lateranensi (*c*) sub Innoc. III. ut semèl in anno ad Eucharistiam Fideles accedere tenerentur, & Concilium Tridentinum in quolibet anno pro tempore assignavit Pascha his verbis. *Si quis negaverit omnes, & singulos Christifideles utriusque*

a *Div. Th. 3. p. q. 50. art. 11. in corpore.* b *De Consecratione dist. 2.* c *Cap. Omnis de pœnit. & remiss. sess. 13. can. 9.*

que sexus, cum ad annos discretionis pervenerint teneri singulis annis, saltem in Paschate ad Communionem, juxtà Præceptum Ecclesiæ, Anathema sit. Nos igitur, ut Gregis Nobis commissi saluti occurramus, mandamus omnibus, & singulis utriusque sexus nostræ Diœcesis, qui præceptum Paschale adimplere tenentur singulis annis, ut illud tali tempore adimpleant in propria Parochia, nec alibi cum proprii Parochi licentia, ut ille notitiam habere possit, num omnes sui Parochiani præceptum adimpleverint.

4 At quia in supracitato capitulo Omnis, videtur designatū tempus præcepti annuæ communionis adimplendæ in Paschate; hoc tamen non præcisè de illo solo die intelligendum est, sed declaramus: tempus incipere à Dominica Palmarum per totam Dominicam secundam Paschæ; Et si aliqua legitima causa subsit Parochi talem dilationem ultra tertiam Dominicam potrahendam nequeant; sed à Nobis petatur dilatio, quæ non dabitur, nisi cognita causa, ut declaravit Sac. Congreg. Rit. 15. Februarii 1614. in una Granaten.

5 Non communicantes tempore Paschali, & ab aliis dolosè accipiunt schedulas, quæ eo tempore distribui solent, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione, sciant incidere in casum Nobis reservatum; tùm etiam malitiosè dantes.

6 Transacto tempore Paschalis præcepti Parochi omnes nostræ Diœcesis quolibet anno Familias, & quoslibet de familia, eorumque ætatem, qui in propriis Parochiis degunt, ad formam Ritualis Romani in libro describant, quem intrà octodies post tempus Præcepti in nostra Curia præsentent, una cum Notula distincta eorum, quos noverint præceptum non servasse.

7 Pœnæ quas incurrunt ii, qui transgrediuntur hoc præceptum, juxtà citatum cap. Omnis, sunt Ecclesiasticum interdictum, & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, à qua caveant.

8 Re-

8 Regulares omnes in prima die Paſchæ Reſurrectionis, nemini, qui non ſit de familia clauſtrali, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrent, non ſolùm pro præcepto, verùm neque pro devotione, ut declaravit Sac. Cong. Concil. Et qui non ſolum eo die, verùm etiam toto tempore Paſchali, ſuſcipiunt Euchariſtiam de manibus Regularium, non ſatisfaciunt præcepto, ut eadem Sac. Congregatio declaravit.

9 Sæculares ſervitia præſtantes in locis Regularium, ſi de eorum numero, vel Regula non ſunt, veluti Tertiarii præceptum Paſchale adimplere tenentur in propria Parochia, ſicut merè laici, ut declaravit *(a)* eadem Sac. Congregatio.

10 Ut Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento omnis debitus cultus, honor, & reverentia exhibeatur, & ut evitentur rumores in Communione Paſchali, qui maximè dedecorant Sacramentum hoc, mandamus, ut quando ad menſam Domini accedit multitudo Populi, non confuſim communicentur, ſed primò mares, poſteà mulieres, ſervetur hoc à Parochis.

11 Egrotis quoque Parochialibus, etiam ſi Communionem extrà tempus Paſchale ſumpſerint; in diebus Paſchalibus Parochi illam deferant, ac miniſtrent.

12 Arbitrio Parochi relinquimus quaſnam ſchedudulas alterius Parochiæ in noſtra Civitate pro paſchali præcepto ſuorum Parochianorum admittere velit; ſed quando Epiſcopus in Feria quinta Cœnæ Domini generalem Communionem in Cathedrali Eccleſia miniſtrat, Parochi omnes ſub noſtra Juriſdictione exiſtentes ſchedulas ipſas, quas eodem die Parochus noſtræ Cathedralis diſtribuit admittere teneatur.

13 Zelum noſtræ Civitatis ergà cultum, & venerationem Sanctiſſimi, dùm ad Infirmos defertur; Commen-

a *Anno* 1576. *die* 20. *Febr.* & 28. *Martii* 1594.

mendantes propter religiosam pietatem fidelium elucentem in associatione, ut tota Diœcesis nostra hujus imitatione ad ipsius Sacramenti debitum cultum excitetur, mandamus enixè servari prout sequitur, sub pœnis contrà inobedientes arbitrio nostro infligendis.

14 Quia Egrotus in periculo mortis constitutus Divino mandato Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum potest sumere tenetur. Studeant Parochi diligentiùs illud tempore opportuno infirmis deferre, nè fortè contingat illos tanto dono Parochorum in Curia privatos decedere, & quando sunt processuri ad infirmos cōmunicandos, primo jubeant convocari Parochianos ab ictibus Campanæ,& si Confraternitas Sanctisimi Sacramenti adsit, illam vocare faciant.

15 Secundò præmoneant, ut Egri cubiculum mundetur, & in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, cum Baldachinulo, & duobus luminibus, ut in ea Sanctissimum Sacramentum decenter deponatur, & vasculum cum aqua, & linteum mundum pro abstergendis manibus communicantis.

16 Tertiò congregatis piis hominibus, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo, stola, & humerali albi coloris, & etiam pluviali si haberi potest, in procesione facienda præcedere faciat campanulam pulsandam, post Clericus cum lanterna accensa. deindè deferentes intortitia, seù luminaria, quæ non sint minùs quam duodecim, postremò Acolitus deferens aquam benedictam, Rituale Romanum, & bursam cum Corporali, tandem Sacerdos ipse Sacramentum gestans elevatum ante pectus, sub Baldacchino, vel umbrella, dicens Psalmum *Miserere*, & alios Psalmos, & Cántica.

17 Dum Sacerdos infirmum communicat, hortamur in Domino omnes stantes ad fores cubiculi, ut litaniam Lauretanam cum oratione Deiparæ, & pro uno infirmo recitent ad impetrandam pro ipso Animæ, corporisq; salutem.

18 In-

18 Infirmus poſtquam Viaticum ſumpſerit poſt diē octavam ex devotione iterum petierit communicari, eidem concedatur, ſed non per modum Viatici, quod ſemel præbeatur in eadem infirmitate.

19 In regreſſu Sacerdotis ad Eccleſiam eodem ordine, quo ſupra, Sanctiſsimo in Altari expoſito annunciabit quadraginta dies de Indulgentia, quos Nos concedimus comitantibus, poſteà ipſos benedicet, & Sanctiſsimū in Tabernaculo recondet.

20 In Feria quinta Cœnæ Domini per Parochos conſerventur, quamplures particulæ pro communione Infirmorum, quæ reponantur in Pixide conſervanda in Tumulo, in quo aſſervatur Sacramentum ſumendum in Feria ſexta Paraſceve. Et ſi contigerit aliquem Infirmū communicari in iis duobus diebus, deportetur ad illum Venerabile in una particula privatim cum una lanterna accenſa, & abſquē ſono Campanulæ; Et poſtquàm Infirmus Viaticum ſumpſerit, Sacerdos in eademmet domo exuat ſe ſuperpellicio, ſtola, aliiſque paramentis.

21 Omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles noſtræ Diœceſis, & præcipuè Eccleſiaſticos in Domino hortamur ad aſſociationem Euchariſtiæ, in qua Chriſtus Dominus, amoris ſui divitias, & Animæ noſtræ Theſauros repoſuit. Ad illam verò aſſociationem teneri volumus, ſub pœna carolenorum duorum pro qualibet vice, Clericos in ſua Parochia, dummodo ſint præſentes, in qua aſſociatione præſtent miniſterium illud, quod eis à Parochis fuerit injunctum.

22 Memores eſſe volumus Parochos Spiritus Sancti dicti: (*a*) cibus ſum grandium, creſce, & manducabis: ideò eis mandamus, ne hoc edulio cibent eos uſum rationis perfectæ non habentes: & quando cognoverint illos capaces eſſe, antequam ad illud primò ſuſcipiendum ad-

---

a *Eccl. in officio Div. Aug.*

admittant, instructos faciant juxtà methodum in appendice hujus Synodi apponendum, & eo tempore uti à Parochis nostræ Civitatis practicatur laudabilitèr.

25 Praxis Parochorum nostræ Civitatis in instruendis pueris primò communicaturis, est.

24 Per quindecim dies antè Festum Pentecostes quotidiè ad sonum Campanæ pueris convocatis ad Parochialem Ecclesiam eos edocent juxtà methodum citatū: In Sabbato Sancto illos examinent, & quos idoneos repererint in una ex Festis Pentecostes Sanctissimo Sacramento communicant, prævia generali confessione eorū. Quam Praxim servari omninò volumus ab omnibus Parochis nostræ Diœcesis sub pœna suspensionis ab officio per mensem, & si in sancta Visitatione facienda invenerimus aliquem ex pueris, præcipuè rudibus, quid in hostia continetur nescire; pròut cum maximo Animi nostri dolore sæpius nobis evenit, indignationem nostram, noverint Parochi, se incurrisse.

25 Scriptum est: (*a*) Nolite tradere margaritas antè porcos; Ideòque Parochi ab hac mensâ excludant publicè excommunicatos, interdictos, usurarios publicos, blasphemas, concubinarios, meretrices, conjuges sine causa juridice excutienda cohabitare nolentes, & alios, qui in vitiis persevcrent cum publico scandalo, nisi priùs signa emendationis exhibuerint, & tunc non nisi Nobis priùs consultis. Quorum publicè peccantium Nobis notitiam Parochos porrigere volumus, ut ad ipsa scandala remedia opportuna dare possimus, sub pœna ducatorum sex.

28 Et quia Clerici, Subdiaconi, & Diaconi sunt genus electum (*b*), & ad Reale Sacerdotium vocati, ut eorum exemplo (*c*) Populus ad hanc mensam Cœlestem sępiùs accedere moveatur, ac Synodali constitutione tenean-

a *Matth*.7.23. b 1 *Petr*.2. c *Trid. sess*.23. *de Ref. cap*.11. & 13.

neantur prima, & quarta Dominica menſis, & in Feſtis ſolemnioribus, in ſolemni Miſſa coram Populo, omni qua decet reverentia ſacram ſumere Euchariſtiam, & ſu perpelliceo induti ad illam accedere. Archipresbiteris verò præcipimus, ut ſingulis quatuor menſibus, Nos certiores faciant de hujus decreti adimplemento ſub pœnis noſtro arbitrio, & ſi aliquem ex ipſis invenerimus inobedientem, ſciat per annum ad ulteriores Ordines non eſſe promovendum.

27 In quavis Eccleſia etiam Regularium non exponatur publicè Sanctiſsima Euchariſtia, abſque noſtra, vel noſtri Generalis Vicarii licentia expreſſa, neque ex publica cauſa, niſi à Nobis probanda, ſub pœna interdicti localis, ſi Eccleſia fuerit Regularis. Si verò fuerit Parochialis, Confraternitatis, vel alia ultrà interdictum locale, ſuperior ipſius Eccleſiæ arbitrio noſtro punietur.

28 In ipſa verò expoſitione, ſaltem duodecim candelæ continuò ſint accenſæ, & duo Sacerdotes, vel Clerici orantes continuò aſsiſtant.

29 Rationes quatraginta horarum cum Expoſitione Venerabilis antè Solis ortum non incipiant, & in Solis occaſu dimittantur, neque ulla ex cauſa antecedantur, vel prorogentur, ſub pœna, Rectoribus id permittentibus, ducatorum ſex, piis uſibus.

30 Delatio proceſsionalis Sanctiſsimi Sacramenti ſemper fiat ab Archipresbitero, vel Curato, juxtà Sacræ Congregationis Rit. Decretum; ſub die 18. Maii 1602. à Quaranta relatum in ſumma: excepta noſtra Cathedrali, in qua laudabilem conſuetudinem ſervari volumus.

31 In Eccleſiis, in quibus Sacra Euchariſtia (a) ſervari

a Cap. ſanè olim de celebrat. Miſſar. cap. 2. de Cuſtodia Euchariſt. Concil. Later. ſub Innoc. III. cap. 20. Et cap. de cuſt. Euchariſt. Concil. Provinciale Beneventan. 1693. tit. 37.

vari debet sit Tabernaculum pars exterior, cujus decentissimè sit ornatum cum suis Conopeis, albi, rubri, viridis,& violacii colorum. Pars interior sit ornata tegumento serico albi coloris, cujus ostiolum claudatur clave argentea, funiculo serico appensa, nè ad Sanctissimam Eucharistiam possit sacrilega manus extendi, quam clavem Parochus, Rector, vel Præfectus Ecclesiæ, dummodò sit Sacerdos, penès se detineat.

32 In dicto Tabernaculo duo sint Pixides argenteæ, (a) interiùs auro illitæ, cum suis cooperculis, una major, altera minor: Prima cum operculo albi coloris deserviat pro asservandis sacris particulis, altera pro deferendo ad infirmos hoc Sanctissimo Sacramento, quæ duæ Pixides collocentur super corporali mundo.

33 Ad excitandos fideles omnes ad reverentiam, & amorem erga hoc Sacramentum, (b) diùque, noctuque antè ipsum ardeat lampas accensa saltem una, sub pœnis arbitrio nostro.

34 Particulæ, quæ in Pixide conservantur pro communione infirmorum, (c) quolibet octiduo renoventur, sumptis de more veteribus: Et Tabernaculum intrinsecus, & extrinsecus purgetur eodem tempore.

35 In Ecclesiis Parochialibus, Regularibus, & Monialium (d) sacrosancta Eucharistia retineatur, in aliis verò non nisi ex particulari privilegio.

36 Memoriæ revocamus declarationem Sacræ Congregationis Concil. editam de ordine Innoc. XI. in appendice hujus Synodi apponendam circa quotidianum usum sacrosanctæ Eucharistiæ.

37 Pro Coronide hujus Tituli sciant omnes Animarum Rectores, quod si aliquis paucis ante diebus sacram

Com-

a *Rit.Rom.hoc tit.* b *Rit.Rom. loc.cit.* c *Rit. Rom. loc.cit.Clem.VIII.const.34.Sanctissimus ubi p. Græcis.* d *Sac.Cong.Episc.15.Jan.1619.*

Communionem perceperit imminente mortis periculo teneri illā denuò ſumere; quia inſtante tali periculo, adeſt præceptum Divinum obligans.

38 Simulque abrogatam eſſe conſuetudinem oſtendendi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis communicare non volentibus, illudque ad eos deferendi, ut obſculentur, Sacra Congr. Conc. in una Panormitana, die 19. Novembris 1571.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

1 Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech Chriſtus Dominus pridiè quàm pateretur, poſt Corporis, & Sanguinis ſui Inſtitutionem in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ut cum cruento Sacrificio, quod erat peracturus in mutatione victimæ aliud incruentum relinqueret uſque ad Mundi finem; Sacrificiū, & Sacerdotium inſtituit per illa verba: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*: tradens Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes elegit, eorumque ſucceſſoribus omnimodam poteſtatem quotidiè illud offerendi, tanquam Propitiatorium pro peccatis, & ſatisfactionibus vivorum, & prò defunctorum nondum purgatorum expiationibus proficuum; Vti Catholica Eccleſia docuit, & docet: Offertur igitur hoc ſacrificium pro vivis, & defunctis, ut omnibus poſſit, quod pro omnium ſalute fuit inſtitutum. Quare in hanc ſortem Domini vocatus in hujuſmodi ſacrificio renovando exuat veterem hominem cum actibus ſuis, & Ieſum Chriſtum induatur, magna Animi reverentia, veneratione, & conſcientiæ puritate, ut carnes Agni immaculati miniſtrare poſsit; Cogitans ſocios habere Dominationes, quæ adorant, Poteſtates, quæ tremunt, Cœli, Cœlorumque virtutes, ac Beata Seraphim, quæ ſocia exultatione concelebrant.

2 Sancti Patres Nobis luculentèr innuunt, & exemplo suo nos docuerunt, quomodo Sacerdos se præparare debet ad sacrum Missæ sacrificium celebrandum: inter quos Div. Chrysostomus per hæc verba, Quantam verò ab eo integritatem exigemus? quantam Religionem? Considera enim quales manus hæc administrantis esse oporteat; qualem linguam, quæ verba illa effundat; qua deinde re non puriorem, sanctioremve esse conveniat Animam, quæ tantùm illum, tamque dignum spiritum receperit? Per id tempus Sancti Angeli Sacerdoti adstant, & Cœlestium potestatem universus ordo clamores excitat; & locus altaris vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum Choris plenus est: Idque credere abundè licet ex tanto illo Sacrificio, quod tunc peragitur; Vnde valdè deflenda est aliquorum Sacerdotum negligentia, qui nullo modo se ad tantum Sacrificium celebrandum dignè disponere se student, ut Cardinalis Petrus Damianus his verbis exclamat: *(a) Curiis sæcularibus indifferentèr inserviunt, ab otiosis se sermonibus ineptiis non compescunt: imò per lites, & jurgia frequentèr à Proximorum suorum charitate resiliunt; & cum livoris, vel cujuslibet terrenæ concupiscentiæ flammas in suis pectoribus fervere non nesciant; Venerandis tamen Altaribus impudentèr se ingerunt, ab offerendi Sacrosancti libaminis ministerio non recedunt.*

3 In primis igitur Sacerdotes ante celebrationem meminerint, *(b)* speciosos debere esse præ filiis hominum: quapropter à vitiis, & desideriis sæcularibus abhorreant, Castitatem studiosè illæsam servent, ut in Ecclesia Dei fideliter operentur; quod si illorum conscientia remordeat super nivem dealbentur per sacramentalem Confessionem. Scriptum est enim, Justus in principio accu-

a *Opusc.6.circa Instit. & ignav.Clericor. cap.*1.
b *Psal.* 44.

accusator est sui. Quanta cura adhibenda est, ut sacro-sanctæ Missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur; audiant Tridentinum: (*a*) Maledictū in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligentèr, quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeò sanctum, ac Divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo, vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus in Altari per Sacerdotes quotidiè immolatur. Satis etiam apparet omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori Devotionis, ac Pietatis specie peragatur.

4 Secundò Sacerdotes antequàm celebrent, ut Divi Caroli (*b*) verbis utatur, & antequam ad Altare accedant Missam perlegant, & singulas partes ità præparatas, & notatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque hereant, sacris vestibus induti cum nemine collocantur, neque colloquentibus dent aures, mentemque, & oculos ab omnibus amoveant, quibus distrahi possunt, neque à Sacristia exeant, nisi cum ad Altare eundum erit, quo tunc gravitèr, & modestè fiat in Altari ne in mora sint sacrificio cujusvis expectandi gratia, nevè ob eandem causam Missa incohata substineant, aut ejus initium repetant. Nevè si Parochi sint cujusquam gratia, tunc Missam anticipent, aut differant, sed illam competenti hora celebrent, Cœremonias; & Ritus adamussim servent, nihil addendo, vel detrahendo; in quibus si notabiliter defecerint, punientur.

5 Sacerdos sacrum peracturus antequam ad Altare gressus dirigat, certior sit, si in promptu habeat Clericum, vel alium, qui Missæ inserviat: Candelas jam fuisse

super

a *Sess.22.de sacrif.Miss.de observand.in celebrat.Missæ.*
b *Act.p.1 tit.quæ per tinent ad celebrat.Missæ.*

ſuper Altare accenſas; Vrceolos cum vino, & aqua præparatos, & ſudariolum, quo poſſit manus ſe abſtergere;& ne audeat celebrare, niſi indutus veſte talari, & cum indumentis ſacerdotalibus à Nobis benedictis, ſub pœna ducatorum ſex;Indumenta ipſa non ſint lacera, ſed munda, præſertim Corporalia, & Purificatoria,ſub pœna ducatorum duorum irremiſibiliter exigenda ab iis, ad quos ſpectet.

6 Promoti ad ſacrum Ordinem Sacerdotii, primam Miſſam ne celebret, antequam calleat omnes cœremonias, de quarum peritia, atteſtationem ad noſtram Curiam deferre teneatur noſtri Magiſtri Cœremoniarum, & tunc prævia noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia, ſub pœnis noſtro arbitrio.

7 Rectores, Sacriſtæ, & Præfecti Eccleſiarum, nullum exterum (a)ad Sacrum peragendum admittant abſque teſtimonialibus literis ſuorum Ordinariorum, à Nobis, vel Vicario noſtro Generali, & in Diœceſi à Vicariis Foraneis ſignatis, ſub pœna ducatorum quatuor, piis uſibus.

8 Regulares verò ſub pœna interdicti ſuarum Eccleſiarum (b) ſupraſcriptum decretum ſervare teneantur, neque Sacerdotes ſæculares admittant ad celebrandum ſine veſtibus talaribus, ſub pœna interdicti ſuarum Eccleſiarum.

9 Nemo abſque Sedis Apoſtolicæ privilegio, cujuſcumque dignitatis ſit celebrare audeat Sacrum cum anulo in digito, ſub pœna ducatorum ſex, & amiſſionis anuli, applicandi Eccleſiæ, in qua celebravit: (c). Et ſi quis

a *Trid. ſeſs.22.de obſer.in celebrat. Miſs.& ſeſs.23. cap.* 16. *de Ref.* b *Literæ Cir. Sac.Cong. Vniverſalis Inquis. de Vrbe* 26.*Jan.* 1692. *Sac. Cong. Conc. in Vercelen* 21.*Mart.*1643. c *Sac.Rit.Cong.* 11.*Februar.* 1623.*Vrban.VIII.in dec.Sac.Cong.rit. in Miſſal.Rom.*

quis Missam cum pilegulo celebrare au sus fuerit, absque Sedis Apostolicæ privilegio, gravioribus pœnis nostro arbitrio punietur.

10 Nullus Sacerdos Missam celebrare præsumat ante auroram, vel post meridiem, excepta nocte Nativitatis Domini in Ecclesiis, ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur *(a)* juxtà Sac. Congregationis Rit. declarationem, quæ in appendice habebitur, sub pœnis arbitrio nostro.

11 Ut omnis reverentia sacris vestibus debita feratur, inhibemus *(b)* ne illas in profanum usum redigant sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

12 Sacri Concil. Trid. mandato injunctum est curam Animarum habentibus, ut oves sibi creditas pascant verbi Dei prædicatione, ideòque renovantes decretum in hac Synodo latum sub titulo De Verbi Dei prædicatione.

13 Mandamus illud strictæ servari, simulque injungimus eos singulis diebus festivis de præcepto teneri pro eodem populo sibi commisso sacrum applicare, & si redditus Ecclesiæ pingues sint omnibus diebus etiam ferialibus juxtà Sac. Congregationis Decretum, in appendice hujus Synodi apponendum.

14 In quocumque Oppido nostræ Diœcesis singulis diebus festivis de præcepto in Parochiali Ecclesia pro commoditate Populi celebretur Missa ad Auroram à Sacerdotibus ipsis Ecclesiis addictis per hebdomodam, exceptis dignitatibus, & privilegio senectutis gaudentibus, ne complures Animæ Christi sanguine redemptæ opportunitate non interessendi Missæ, priventur, quod passim accidisse Nobis constat, sub pœna arbitrio nostro, commendantes in hoc zelum Sacerdotum sæcularium, & Re-

gu-

a *Can. Nocte Sancta de consecr. dist. p. in Pisaur. 21. Apr.* 1641. b *Cap. Vestimen. de consec. dist. p.*

gularium nostræ Civitatis in hac missa celebranda.

15 In omnibus Sacristiis quarumcumque Ecclesiarum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, pendeat Tabella, in qua sint descripta onera Missarum anniversariorum, & officiorum, ad quæ ipsa Ecclesia tenetur singulis annis, vel Beneficiati, & Cappellani ipsius, & pro quibus, quo die, & in quo Altari celebranda sint, sub pœna interdicti personalis, ad quos spectat. Similiter in eadem Sacristia continuatim adsit liber, in quo notentur onera Missarum, & Anniversariorum, ab eo Sacerdote, qui illis oneribus satisfacit, cum designatione anni, mensis, & diei, sub pœnis nostro arbitrio.

16 Caveant quicumque onera Missarum celebranda in Ecclesia, (*a*) & Altari designato juxta Tabellam habent, ne illas Missas in alia Ecclesia, vel in alio Altari celebrent, quia licet oneri satisfaciunt, læthale peccatum non aufugiunt. Si quis autem Missam non dictam falsò ibi adnotaverit suspensionem ipso facto incurrat.

17 Inhærentes Decretis Sac. Congregationis Concilii, (*b*) Urban. VIII. auctoritate æditis prohibemus Capitulis, Cleris, Parochis, Ecclesiarum Rectoribus, Confraternitatibus, & aliorum piorum locorum administratoribus, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, ne in posterum sine nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia in scriptis, nova onera Missarum perpetua recipiant.

18 Et quia à fide dignis audivimus aliquem ex Sacerdotibus manuales elemosynas pro Missis celebrandis accipere, quas intrà modicum tempus, juxtà Sac. Congre-

a *Sac. Cong. Conc. de mand. Alexan. VII. die 15. Decembris 1663. Sac. Cong. Conc. in Romana die 14. Aug. 1654.*
b *Die 21. Junii 1625. de celebr. Missar.* c *Ex decret. præcit. & ejusd. declarat. Sac. Cong. in resp. ad Iub. 11. 12. & 15.*

gregationis Concilii præſcriptum celebrare non poteſt, non sine magno detrimento animæ Benefactoris dantis. Nos igitur, ut opportunis remediis huic avaritiæ ſpeciei occurramus; mandamus omnibus, & singulis Sacerdotibus, ne in poſterum prædictas Miſſas manuales in numero, quàm primum non ſatisfaciendo recipere audeant, ſub pœna interdicti perſonalis, Nobis reſervati, ipſo facto incurrenda. Declarantes illud (Quamprimum) non poſſe extendi ultrà duos menſes, nisi aliter conſtet de voluntate Benefactoris.

19 Sacerdos, qui Miſſas celebrandas ſuſcepit cum certa eleemoſina, ſi illas alteri Sacerdoti celebrandas tradere voluerit, ſciat ſibi non licere partem eleemoſinæ receptæ retinere, ſed integrè celebranti tradere, alioquin ultrà lęthale peccatum ad reſtitutionem tenebitur, juxtà Sac. Congregationis Concil. (*a*) declarationem.

20 Mandamus omnibus Capitulis, Rectoribus,& Adminiſtratoribus quarumcumque Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum, ut infrà bimeſtre exponere faciant in cujuſcumque Eccleſiæ Sacriſtia, decreta Sac.Cong.Concil. (*b*) cum ejuſdem declarationibus de celebratione Miſſarum Urbani VIII. auctoritate ædita, ac ab Innoc. XII. confirmata, ſimulque Clementis Undecimi methodum à Monaccllo relatum, & debitæ exequutioni demandentur, ſub pœna ducatorum ſex, quæ decreta mandamus, ſingulis quatuor menſibus perlegi in collatione caſuum conſcientiæ per Secretarium, ad hoc, ut omnes Sacerdotes contentorum in iis plenam notitiam habeant, ſub pœna, ut ſuprà, irremiſibiliter exigenda à Præfecto dictæ Congregationis.

21 Inſuper pluribus ex cauſis mentem noſtram mo-

G ven-

a 21. *Jun.* 1625. §. *ac ſimiliter.* b *Sac. Cong. Concil. in dec. de celebr. Miſſ. Urban. VIII. Innoc. XII. Conſt. Nuper* 1697.

ventibus, ſtatuimus, ut onera Miſſarum planarum perpetua, quæ ſunt addicta alicui Altari, vel Eccleſiæ, acceptari poſſint non niſi ad rationem duorum carolenorum ad minus pro qualibet; Miſſæ cum cantu ad rationem quinque carolenorum pro qualibet: Anniverſaria tandem ad rationem carolenorum ſeptem pro quolibet, decernentes cum anniverſario à Choro cantari debere nocturnum Defunctorum.

22 Laudabile inventum, Charitate religioſa introductum à Clero toto noſtræ Civitatis pro Sacerdotibus defunctis perorare, eorum Animas Miſſæ Sacrificio comitando, & hoc à quinque annis ſupra, & præſenti anno majori fervore extenſa in tota noſtra Diœceſi, uti Nobis clarè conſtat ex publicis documentis; Nos igitur, ut hoc tam pium opus durabile ſit, mandamus Archipresbiteris omnibus noſtræ Diœceſis, ut de ſequuta morte alicujus Sacerdotis de deſcriptis in Congregatione Sacerdotum, ſtatim certiorem faciat Præfectum in noſtra Civitate exiſtentem, qui ut partes ſuas impleat omnes alios Archipresbiteros noſtræ Diœceſis, certiores facere tenebitur, ut quanto citiùs Clerus totus & Civitatis, & Diœceſis ſacrificium celebret pro Sacerdote Confratre defuncto.

23 Nobis conſtat Confratres Congregationis in noſtra Civitate exiſtentes, ſingulis annis, prima die non impedita poſt Commemorationem omnium fidelium Defunctorum celebrare anniverſarium pro omnibus Sacerdotibus Confratribus defunctis: Ità ſervari mandamus ab omnibus Cleris noſtræ Diœceſis adſcriptis dictæ Congregationi, ut ſervetur juſtitia.

24 Quilibet Archipresbiter noſtræ Diœceſis librum conficiat, in quo Sacerdotes omnes illius Oppidi præbeant teſtimonium veritatis de celebrata, pro defuncto Sacerdote Confratre, Miſſa: quem librum tempore Diœceſanæ Synodi præſentare teneantur Præfecto, & Officialibus Congregationis Sacerdotum, ut innoteſcat Congregationi

tioni toti satisfactio Missarum.

25 Abusus introductus, & ut meliùs dicam scandalum, auctore diabolo à novellis Sacerdotibus, post primam Missam celebratam, publica convivia, saltationes, & similia domi peragere, quod nihil aliud est, quam ansam præbere populo, malè loquendi: Nos igitur, ut malis iis remedia potiora præbeamus sub pœna interdicti personalis ipso facto incurrenda, nobis reservata, mandamus novellis Sacerdotibus Diœcesis nostræ, ut in primo die, & per octo post primam Missam à domibus suis longè habeant publica convivia, saltationes, & absque sexu muliebri, sonitus, & lascivos cantus, cum hæc dedecorent, & vilescant dignitatem Sacerdotalem. Caveant de contrario.

26 In complurimis Visitationibus invenimus plures Ecclesias gravatas esse oneribus perpetuis Missarum, absque eleemosynis, pro parte illarum satisfacientis; & hoc evenit ex emissione capitalium consumptorum; Nos igitur, ut in futurum id evenire non possit, mandamus sub pœna Interdicti Personalis Nobis reservata, & ipso facto incurrenda, servari, ut sequitur.

27 In nostra Civitate fidem depositi in Curia nostra præsentare teneantur, & cum per eos denuo fiet emptio annuorum introituum, contractum illud cum descriptione bonorum, & à quo fuerit capitale estinctum, & à quo fuerit stipulatum in registro Curiæ annotare à Cancellario faciant, sub pœna nostro arbitrio, quam annotationem gratis fieri mandamus.

28 In quolibet Oppido nostræ Diœcesis Clerus infra mensem fabricare faciat Arcam sacram, in qua sint tres claves, quarum una detineatur per Archipresbiterum, altera per Decanum, & altera per Procuratorem dicti Cleri, in qua Arca sacra reponantur capitalia omnium, & quorumcumque locorum piorum, & Ecclesiarum, infrà terminum viginti quatuor horarum, & non extrahantur,

 nisi

nisi in die, quo suprà, sub pœnis arbitrio nostro.

29 In Oratoriis privatis domorum nemo Sacerdos celebrare audeant, sub pœna suspensionis absque nostra speciali licentia, & qui licentiam obtinuerit celebrandi in diebus Festis observet adamussim indultum Summi Pontificis, alias si in festis vetitis celebrare ausus fuerit, pœna carceris formalis per tres menses punietur.

30 Et quia sancta, & salubris est excogitatio pro Defunctis exorare juxtà Div. Paulum commendantes zelum Cleri totius nostræ Civitatis, qui post Commemorationem omnium fidelium Defunctorum Anniversarium cū Nocturno celebrat, & pro Canonicis, & pro Parochis, & aliis respectivè, sic hoc nostro statuto servare omninò volumus in omnibus Ecclesiis totius nostræ Diœcesis, nempè ut omnes de Clero cujuscumque Oppidi, die quo supra Anniversarium quo supra celebrare teneantur pro Parochis, & omnibus Sacerdotibus defunctis dicti Oppidi; Illud adnotando in Tabella Anniversariorum, sub pœna aureorum decem applicandorum pro suffragio præcitatarum Animarum.

31 Nemo audeat habere fenestras à suis domibus respicientes in Ecclesias eisdem domibus conjunctas pro Missa audienda, quia hoc expressè prohibitum à Sac. Congregatione Rituum (a) sub pœna Interdicti personalis ipso facto incurrenda nobis reservata. Quod si quis ad præsens sit, qui in nostra Diœcesi talem fenestram habeat, absque privilegio, infra quindecim dierum spatium suis sumptibus fabricare faciat, tàm à parte Ecclesiæ, quam à parte suæ domus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nobis reservata.

32 In Festis Sanctorum alicujus Religionis Sacerdotes sæculares accedentes ad Ecclesias Regularium pro Missa celebranda non celebrent Missam propriam concessam

---

a *Die* 19. *Iulii* 1664.

cessam ad usum eorundem Regularium; sed Missam ordinariam appositam in Missali, servatis Rubricis, neque Cappellanus Monialium occurrente festo proprio Monialium celebret aliam missam, quàm præscriptam in Missali Romano pro usu totius Cleri sæcularis, ut declaravit *(a)* Sac. Cong. Rit.

33 Inhærentes Decreto Sac. Congregationis Rit. strictè mandamus omnibus Sacerdotibus nostræ Diœcesis, nè contrà usum Ecclesiæ Missæ sacrificium celebrent absque speciali Privilegio in die feriæ quintæ Cœnæ Domini, nisi pro reponendo Venerabili Sacramento in sepulchro, in iis Ecclesiis ubi sepulchra fiunt.

34 Pro Coronide ad hoc, ut Sacerdos celebraturus possit, prout studiosè debet ad hoc incruentum sacrificiũ peragendum, se præparare, adsit in opportuna parte Sacristiæ genuflexorium cum Tabella precum ad Sacerdotum præparationem attinentium: In alia parte fons aquæ pro mundandis manibus, & linteum mundum appensum, & hoc, ut corde contrito, & lotis manibus carnes Agni immaculati, tangere, & sumere possit.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1 Misericors, & miserator Dominus, cujus Misericordiæ non est numerus, qui omnibus humanæ fragilitatis lapsibus non cessat sua Providentia occurrere; videns Hominem, ex Baptismate sanctificatum fomitis contagio pronum ad peccandum, servare non posse restitutam Stolam Innocentiæ; Pœnitentiæ Sacramentum, secundam post peccati naufragium Tabulam humanæ fragilitatis præstantissimum præsidium, & tanquam principale adiutorium, ad vitam æternam consequendam his verbis instituit, cum dixit: Quorum remiseritis pec-

a 20. *Novembris* 1638.

peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, ut Dei Indulgentiam per Sacerdotis Miniſterium conſequantur: Propterea Pœnitentia, Probatica Piſcina à Sanctis Patribus vocatur, imò, & illa præſtantior, quia non domui Iacob, ſed toti Eccleſiæ patet in ablutione ſcelerum, æquum itàq; eſt,ut omni qua decet reverentia à Miniſtris contractetur, & cum Iudices in hoc Tribunali ſint, non debeant, juxtà largas Doctorum opiniones judicare: nam larga via ducit ad perditionem, ſed potiùs tutiores Patrum ſententias ſequi. Arcta enim via ducit ad vitam. Semper memoriæ retinentes tremendam Prophetæ comminationem, Vè his, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia ſub capite cujuſcumque ætatis ad capiendas Animas.

2 Et quia conveniens eſt, ut hoc Sacramentum, omni qua decet reverentia, & circumſpectione tractandum ſit, Miniſtri huius, nempe Confeſſarij, maturæ ætatis ſint, patientes pro ſalute Animarum, prudentes, exemplares, graves, diſcreti, & quorum vita probata ſenectus ſit: ideòq; iniungimus, Examinatoribus noſtris Synodalibus, ad Confeſſarios examinandos deputatis;(a) nè tradant Beſtijs Animas confitentes Deo, diligenterq; perquirent de eorum vitæ probitate, alijsq;à Iure requiſitis, & neminem ad hoc Sanctum munus exercendum admittant, qui prœditus non ſit ſcientia ad rectè iudicandum; de qua ſcientia Confeſſarijs neceſſaria, eorum conſcientiam oneramus.

3 Cum indubitatum ſit, nullam eſſe abſolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel delegatam poteſtatem non habet(b); Nemo Sacerdos, ſivè ſæcularis, ſivè Regularis audeat pœnitentiæ Sacramentum intra fines noſtræ Diœceſis adminiſtrare, qui Beneficium

a *Pſal.*23. b *Trid.ſeſſ.*23.*de refor.c.*15. *Vrb.VIII. conſtit.*92. *cum ſicut Gregor.XV.conſtit.*18.*Inſcrutabili.*

ficium Parochiale non possideat, vel à Nobis approbatus licentiam non obtinuerit. Qui secus fecerit si Regularis sit excommunicationis pœnam Nobis reservatam ipso facto incurrat; si sæcularis ultrà eandem pœnam, carcere formali per sex menses punietur.

4 Nemo simplex Sacerdos, neque ordinariam, neque delegatam potestatem audiendi confessiones habens audiat in nostra Diœcesi, juxtà probabilistarum sententiam, à venialibus absolvere, cum hoc expressè prohibitum sit ab Innoc.XI. sanctæ mem., in Decreto Sacræ Congregationis, die 12. Februarii 1679.

5 Qui Parochiale Beneficium obtinerunt, & posteà resignaverunt absque nostra speciali licentia, Sacramentales Confessiones audire non præsumant sub eadem pœna excommunicationis, quo supra.

6 Excipitur ex his decretis mortis articulus, in quo juxtà Sac. Conc.Trid.Decretum, sess.14 cap.7. de casuum reservatione, omnis simplex Sacerdos Pœnitentes quoslibet à quibusvis peccatis,& censuris absolvere potest, onere injuncto, quo ad censuras, ut si periculum evaserint se præsentent suo Superiori juxtà dispositionem sacrorum Canonum.

7 Confessarii omnes, sive sæculares, sive Regulares, non audiant Confessiones excepto necessitatis casu, & exceptis confessionibus Clericorum, nisi in Ecclesia,& quando illas audient in Confessionali, nonnisi cum superpellicio, stola, & biretro induti, *(a)* si sæculares sint, sub pœna unius auri; Si verò Regulares, nonnisi cum habitu Religioso, & stola.

8 Ne inimicus possit in sancto malignari, omninò prohibemus Confessariis omnibus, tùm sæcularibus, *(b)* tùm Regularibus, ne audiant Mulierum confessiones præter-

a *Synod. Diœcesana 1669. hoc tit.n.1.* b *Synod. Diœcesana loco supra cit.n.2.*

terquam ex Confeſsionario, neque ante Solis ortum, neque poſt Solis occaſum, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, etiam ſuſpenſionis, ab audiendis confeſsionibus, contrà Regulares præſumentes prædicta transgredi. Infirmarum autem mulierum confeſsiones non audiantur, niſi aperto oſtio, itàut Confeſſarii aſpici poſsint, non verò audiri.

9 Ut Confeſſarii continuò memoriæ habeant Conſtitutionem Gregorii XV. in appendice hujus Synodi apponendam, & pœnas in dicta Conſtitutione inflictas contrà ſollicitantes in confeſsione, & quod perſona ſollecitata in confeſsione non ſit abſolvenda, niſi ſollecitantem denunciaverit. Nos inhærentes veſtigiis antiquorum Canonum Confeſſarios, etiam Parochos, qui ad impudica perſonam quamcumque ex ſibi confitentibus, ſive in actu confeſſionis, ſive antè, ſivè poſt immediatè ſollicitaverint, pœna excommunicationis innodatos eſſe decernimus, à qua à nemine, etiam Pœnitentiario, & Generali noſtro Vicario abſolvi poſsint, ſed nobis immediatè reſervamus.

10. Parochi Iſaiæ dictum memoriæ retineant: (a) Clama ne ceſſes, & quaſi Tuba exalta vocem tuam; ideòque Feſtis diebus, ut ſuprà dictum eſt in titulo de doctrina Chriſtiana, rudem plebem inſtruant, de modo confitendi ſacramentaliter.

11 Simulque Regalis Prophetæ præconium erudimini, qui judicatis, ad hoc ut Sacramentum rectè miniſtrent, memores ſint non vagari otiosè per vicos, & plateas, cum hoc ipſis inconveniens abſque neceſsitate ſit, ſed ſint, ſemper ante oculos habentes libros, qui ipſos inſtructos faciant de officio, in quo miniſtrant, quod monitum aliis Confeſſariis memoriæ eſſe volumus, cum graviſsima culpa ſit Confeſſarium ignarum audire peccata Pœnitentium.

12 Mo-

(a) *Cap.* 58.

12 Monitos esse volumus Confessarios non esse absolvendos eos, (*a*) qui nomen habent, quod vivant,& mortui sunt, si ergò in excipiendis Confessionibus Pœnitentium compererint eos in habituali peccato esse Concubinarios, Usurarios, Meretrices,& occultos,absolutionem denegent. In deneganda autem Confessione ità cautè se gerant, ut non denegata, sed potiùs signo aliquo Crucis concessa videatur, nè sit scandalum circumstantibus, qua cautela indigeant, quando Pœnitens casum à quo absolvendi facultatem non habeant confiteatur.

13 Similiter, ut diximus in tit. de Sacramentorum administratione, non esse admittendos ad Sacramentum Pœnitentiæ eos, qui nesciunt necessaria ad vitam æternam consequendam; ideòque mandamus omnibus Confessariis, sivè sæcularibus, sivè Regularibus, tum ordinariam, tum delegatam jurisdictionem habentibus,ut tempore præcepti Paschalis, omnes, & singulos utriusque sexus Pœnitentes, qui in Grammatica versati non fuerint, examinent de principalioribus nostræ Fidei rudimentis, & aliis præscriptis.

14 Si quis Confessarius, dummodò, non sit proprius Sacerdos, ad audiendam Confessionem (*b*) alicujus infirmi fuerit vocatus, expedita confessione in ipso die, certiorem faciat proprium Parochum, vel viva voce, vel relicta schedula in domo prædicti infirmi de peracta confessione.

15 Nullus Confessarius, sive sæcularis, sive Regularis audeat absolvere à casibus Pontifici reservatis, absque facultate sibi tradita, similiter, & ab iis Nobis reservatis in fine huius Capituli annotandis, absque expressa Nostra licentia. (*c*) Quod si secus fecerint sciant absolutio-

 nem

a *Apoc.3.* b *Constit.Clem.X.superna.S.Congr.Episcoporum 1.Julii* 1606.*ut in Syn. Neap.*1694.*hoc tit.num.*12.
c *Constit.Alex.VII. die* 24. *Septembris* 1665.*n.*12.

nem nullius esse roboris. Neque Regulares cujusque Privilegii, vel laxæ opinionis prætextu, absque expressa licentia à prædictis casibus absolvant, cum hæc opinio sit damnata. Compendium Casuum Bullæ Cœnæ in appendice hujus Synodi habemus.

16 Et quia in Nostra Civitate sunt undecim distinctæ Parochiæ, distinctam jurisdictionem habentes, & Parocus unius non potest mittere falcem in messem alterius, & nemo ex Parochis dictæ nostræ Civitatis de jure potest audire Confessiones in aliena Parochia, Nos igitur, ut compluribus mentem nostram moventibus opportuna tradamus remedia. Concedimus omnibus Parochis nostræ Civitatis, ut non solum confessiones audire possint in quacumque parte Civitatis; Verùm etiam hanc facultatem ipsis per totam nostram Diœcesim extendimus, & è converso omnibus Parochis nostræ Diœcesis facultatem impartimur audiendi sacramentales Confessiones per totam nostram Diœcesim.

17 Similiter eandem facultatem extendimus ad omnes Sacerdotes tàm sæculares, quàm Regulares à Nobis ad audiendas sacramentales Confessiones approbatos in nostra Civitate. Non è converso ad Confessarios pro nostra Diœcesi approbatos.

18 Et quia omnis avaritiæ, & questus, umbra, (*a*) seù suspicio amoveri debet ab hujus Sacramenti administratione: Caveant Confessarii, & etiam Regulares, ne quidquam intuitu confessionis petant, vel exigant, nec pecuniam, vel elemosinam pro pœnitentia imposita sibi attribuant etiam pro Missis celebrandis, etiam si spontè oblatum fuerit occasione hujus Sacramenti ministrari, sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrenda.

19 Memores esse volumus Medicos Decreti Sacri Concilii Lateranensis, & Constitutionis Sancti Pii V., qui-

a *Methodus S. Caroli hoc tit.*

quibus monentur, ut certiorem faciant Parochum de infirmis suæ Parochiæ, ipsosque infirmos ad Confessionem inducant; nec eos visitent elapso triduo, nisi fuerit confessi, sub pœnis in eisdem Constitutionibus contentis.

20 Et quia juxtà Div. Raymundum, (a) quem Deus Ecclesiæ suæ concessit, tanquam Sacramenti Pœnitentiæ insignem Ministrum in extrema ægritudine vix potest aliquis pœnitere, vel etiam cogitare cum ægritudine opprimitur, & multa; ut ait Augustinus occurrunt tunc impedimenta; nam morbus viget, pœna terret filii, quos illicitè dilexit; Uxor, & mundus eum ad se vocant. Hinc argumentum desumimus memores facere Parochos, paternè hortari ægrotos, ut antequam morbus ingravescat, Animam à labe peccatorum expurgent, ne pœnitentiam agant in cinere, scilicèt quando jam peccare non possunt, & peccata illos, non illi peccata dimittunt. Hoc si Parochi facere omiserint, & aliquis eorum incuria impœnitens decesserit, sciant Deum ultorem habituros in redditione computam.

21 Et quia una ex partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ est contritio, vel attritio supernaturalis, sine qua Sacramentum redditur nullum: ideòque Confessarius diligens sit in hoc ministrando. Num Pœnitens verè sit contritus, vel attritus, ne se exponat periculo applicandi formam absque debita materia proxima, & hoc præscribitur in Rituali Romano, titulo de Sacramento Pœnitentiæ, in quo sic legitur, *nec absolvant eos, qui nulla dant signa doloris*, idem Sanctus Carolus Ecclesiæ sanctæ lumen actorum partè 4. ait.

22 Confessarius igitur quando moraliter certus non est de vera Pœnitentis sui contritione, sed potiùs agnoscit illum verè se non pœnitere retinens sit in hoc Sacramento ministrando, ne ipse, & pœnitens in laqueum perditionis

a *In Summa de Pœnit. lib. 3. p. 23.*

tionis (teste diabulo) incidant.

23 Historia Ecclesiastica, Testimonio Sathanæ, vos docet complures impœnitentes ex hac vita migrare, ex defectu accusationis propriorum peccatorum. Propterea prudens Confessarius deprehendens pœnitentem, nullas fecisse confessiones ex defectu taciturnitatis, malitiosè alicujus peccati, illum inducat ad faciendam generalem confessionem, quo unico medio reparare poterit Confessiones præcedentes, juxtà normam Sancti Caroli in suis instructionibus Romæ editis anno 1700. jussu Innoc. Papæ XII. Eundem modum etiam indicat Sanctus Franciscus Xaverius Epistolarum lib.4.Epist.4.

24 Antiquitùs Christiani in aliquod graviùs crimē lapsi, ut Deo graviter offenso satisfacerent, quamcūque satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ acceptabant, ut Animæ salutem obtinerent: Nostro autem Evo (ò tempora, ò mores) multi non modò in aliquod grave crimen, sed in levia lapsi impatientes omninò videntur vociferari adversùs Confessarium, tanquam crudelem, & carnificem conscientiarum, qui pro gravitate criminis, congruam satisfactionem imponere vult; & qui à Confessarium tanquam Medicum mederi decet vulnus Animæ, uti Div. August. (*a*) asserit; Ideòque memor sit satisfactionem juxtà qualitatem delicti imponere teneri; Grandi plagæ, (*b*) alta, & prolixa opus est medicina. Grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem.

25 In nullo legimus Concilio, in nullo Ecclesiæ Patre, quod Jubilæum, aut quæcumque alia Indulgentia eximat Confessarium ab onere, pœnitentias, pro criminis qualitate, convenientes assignandi, quia Ecclesia non videtur velle ea tollere, quæ à sacris Scripturis, Conciliis, & Patrum sententiis præcipiuntur; Ideòq; Nos, ut opportunis

---

a *Lib.de Pastorib.tom.9.* b *S.Ambros.in Epist.ad Virginem lapsam cap.8.*

tunis remediis occurramus, mandamus Confeſſariis omnibus, ut omnia in Sacramento adminiſtrando adimpleant, quæ non ſolùm ad eſſentiam, verùm etiam ad integritatem ipſius pertinent, etiam tempore indulgentiarum, & Jubilæi; Cum Concilium Trid. abſque limitatione doceat alienorum peccatorum participes fieri eos Confeſſarios, qui dum cum pœnitentibus indulgentiùs agunt, leviſsima quædam opera, pro graviſsimis delictis injungunt, & Bonifacius VIII. in Bulla Jubilæi, quæ incipit, *Antiquorum*.

26 Mandamus omnibus perſonis ſine ulla exceptione, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, Nobis reſervata, ne quovis quæſito colore, directè, vel indirectè ægrotos impediant, quominùs à proprio Parocho, ac cæteris Religioſis viſitentur, vel ſint in cauſa, ne infirmi Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis recipiant; vel impediant ipſos ad pias cauſas teſtari; vel conditum Teſtamentum, præter Teſtatoris voluntatem mutari faciant, vel in totum, vel in partem. Similitèr ſub eiſdem pœnis, ut ſuprà, mandamus omnibus Confeſſariis, tùm ſæcularibus, tùm Regularibus, ad audiendas Infirmorum Confeſsiones vocatis, nè audeant infirmorum animos movere verbis, vel factis ad aliquid teſtandum, tùm ad favorem ſui, ſuorumque, tum ad favorem Eccleſiarum ſuarum, cum hoc repugnet libertati Teſtantium.

27 Cum ſecretum, & ſigillum Confeſsionis (a) cum omni jure ſervandum ſit, Confeſſarii omnes ità cuſtodiant, ut neque directè, neque indirectè, & ſub quovis graviſsimæ neceſsitatis prætextu, voce, vel ſigno aliquo revelent illa peccata, quæ ipſi à pœnitentibus audierunt.

Et

a *Cap. dilectus de docentibus Prolatorum. cap. omnis utriuſque ſexus de pœnit. & rem. cap. ſi Sacerdos de off. Iud. ordin.*

Et si quando ab alio Sacerdote consilium petendum esset, aut superior consulendus, ità casum studeant explicare,ut personæ confitentes non deprehendantur. Nullus igitur Confessarius sigillum hujusmodi violare præsumat, quòd si secùs fecerit pœnas in sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus contentas, aliasque etiam corporales arbitrio nostro infligendas nullatenùs effugiet.

Perdit erubescentiæ virtutem Sacramentalis confessio, (*a*) quoties apud criminis socium, seù complicem Pœnitens peccata deponit: Tantoque in hujus solius consideratione facinoris,orrore concutimur,ut eo patientiam nostram prorsùs comminutam fateri cogamur. Facultatem idcircò Confessariis omnibus, tàm sęcularibus, quàm Regularibus avocamus, eas Personas pro illa vice in Confessione audiendi, & sacramentaliter absolvendi, cum quibus in crimine carnali commaculati fuerint, sub pœna suspensionis.

28 A feria quarta Cinerum, per totum Paschale præceptum, à Vigilia Nativitatis Domini, usque ad Pascham Epiphaniæ,& in Festis titularium Ecclesiarum Parochialium, & quando Parochi nostri Diœcesis, de uno ad aliud Oppidum ire tenentur, juxtà methodum in Appendice apponendum, concedimus Parochis tantum facultatem absolvendi à casibus Nobis reservatis, præterquàm ab illis, qui censuras habent annexas.

29 In unaquaque Parochiali Ecclesia sit Sedes Confessionalis (*b*), non in una Tabula cum crate, sed magnifica, in qua sede Confessionali sit crates de lamine stamneo perforato, ultrà cratem ligneam. Sit etiam in ipsa affixa Bulla Cœnæ Domini,& cartula,in qua sint descripti casus Nobis reservati. A parte pœnitentis sit affixa effigies Iesu Christi, vel Deiparæ Virginis Mariæ, ad hoc ut pœni-

a *Syn.Diœc.ann.*1611.*hoc tit. Syn. Neap.ann.* 1694. *hoc tit.n.*20. b *Syn.Diœc.ann.*1669.*hoc tit.*

pœnitentis ipsius Imaginis aſpectu; veram compunctionem ſuorum peccatorum habere poſſit. Idem ſervetur in omnibus aliis Confeſsionalibus, in aliis Eccleſiis noſtræ Diœceſis exiſtentibus. Quod ſi in prima viſitatione à Nobis facienda Confeſsionalia prædicta ad formam à Nobis deſuper præſcriptam inventa non fuerint, qui tenentur pœna aureorum trium punientur irremiſibilitèr.

30 Ut libertati Confeſsionis opportunis remediis occurramus(a) ſtrictè prohibemus Confeſſariis omnibus, ne prohibere audeant ſuis pœnitentibus adire alios Confeſſarios ne ſuæ directionis methodum aliis quomodolibet pateſaciant.

31 DE CASIBUS RESERVATIS. Per antiquatum Eccleſię morem à SS. Patribus noſtris, & à Sacro Conc. Trid. ſeſs. 14. cap. 7. & can. 11. commendatum, proſequentes ad continendam Chriſtiani populi diſciplinam, ne inenormiſsima delicta labantur. Caſus infraſcriptos cum cenſuris reſpectivè annexis noſtro judicio reſervamus, itàut nemo ex Confeſſariis tàm ſęcularibus, quàm Regularibus, tam approbatis, quam approbandis etiam Parochis ab iis quemquam abſolvere poſsit, abſque noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia, excepto mortis articulo, juxtà Tridentini mandatum, & exceptis temporibus, in quibus Parochis juxta antecedens pręſcriptum eſt data facultas.

Quicumque abutentes Sacramentis, Sacramentalibus, ſivè quacumque alia re conſecrata, vel Sanctorum Reliquiis ad veneficia, divinationes, ſortilegia, aut ad alium uſum, quàm fuerint ordinata, vel dantes aliquid ex prædictis ad malum finem, etiam abuſu non ſequuto.

Omnes perſonę utriuſque ſexus ſuperſtitioſa opera committentes, ſpondendo dœmoni obſequiū, vel ei Thus, vel ſacrificia offerendo, etiam abſque errore intellectus, vene-

---

a *Concil. Provin. Mediolan. S. Caroli hoc tit.*

venefici, ſortilegi, aut quovis alio nomine nuncupentur ex utroque ſexu, qui cum expreſſa dœmonis invocatione, incantationibus utuntur, vel ad theſauros inveniendos, vel ad impediendum uſum matrimonii, cooperantes, & conſentientes.

Vulnerantes, vel injuriam inferentes Sacris Imaginibus, juramentum falſum deponentes in damnum Tertii; vel qui utuntur falſis Teſtibus, vel Inſtrumentis, ſivè falſis ſcripturis in alterius prejudicium, ſicut Notarii, Actuarii, vel Scribæ, tam in Proceſſu informativo pro Fiſco, quam in cauſis Civilibus, non omnia dicta Teſtium deſcribentes.

Impedientes Parochos, vel Confeſſarios, ne ad infirmos accedant pro legatis piis deſcribendis: & nè Notarii ab infirmis vocati adeant ad conficienda Teſtamenta.

Confeſſarii omnes etiam Parochi, Perſonam quamcumque ex ſibi Confitentibus ad inhoneſta, ſivè in actu Confeſſionis, ſive antè, ſivè poſt immediatè ſollicitaverint.

Procuratio abortus poſt animatum fœtum etiam effectu non ſequuto.

Quicumque Confeſſarii complices in aliquo delicto carnali abſolventes pœnitentes, cum quibus tale delictum commiſerunt.

Quicumque auſi fuerint de rebus obſcenis, verbis, aut actibus cum Monialibus, converſis, vel educandis loqui, vel ad illas litteras obſcena continentes mittere.

Publica pollutio cum ſanguinis effuſione in Eccleſia, Cæmeteriis, aut Sacriſtiis patrata.

Qui ut Parochos decipiant in Paſchate ſchedulas ab aliis accipiunt pro fide peracta communionis. Similiter, qui fraudulenter dederint ſchedulas non communicantibus in Paſchate.

32 CASUS RESERVATI, *quibus non est annexa Excommunicatio.*

Homicidium voluntarium, vel membri mutilatio per se, vel per alium facientes, vel abortum inanimatum procurantes sequuto effectu.

Incestuosi in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis etiam in cognatione spirituali.

Stuprantes Virgines vi, vel metu, vel ficta promissione matrimonii.

Vsurarii etiam non publici.

Concubinarii etiam infra annum.

Sodomiam, & peccatum bestialitatis exercentes, tàm activè, quam passivè.

Interceptatio alienarum litterarium.

Detentio Infantium, tum à parentibus, tum à nutricibus in proprio lecto, absque cautela, reapulo.

32 CASUS RESERVATI IN BULLA COENÆ.

1 Excommunicantur, & anathematizantur Hæretici cujuscumque sectæ, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & Schismatici.

2 Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3 Piratę, atque eorum receptatores, & fautores.

4 Naufragorum Christianorum, cujuscumque generis bona, etiam in littoribus inventa surripientes.

5 Imponentes nova pedagia, vel gabellas, vel eas augentes.

6 Falsificantes litteras Apostolicas, aut supplicationes à quocumque auctoritatem habente signatas, falsò publicantes litteras Apostolicas.

7 Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turchas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipublicæ Christianę statum pertinentia, iisdem in damnum Christianorum nuntiantes.

 8 Im-

8 Impedientes eos, qui vectigalia, vel alia necessaria Romam convehunt.

9 Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, aut aliorum opera lædentes, & sine jurisdictione vexantes, in Curia commorantes.

10 Romipetas, ac peregrinos etiam in Vrbe morantes, vel abeuntes lędentes.

11 Offendentes S.R.E. Cardinales, & alios Prelatos.

12 Ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes, per se, vel per alios lædentes.

13 Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem.

14 Exequutionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15 Judices sæculares, qui Ecclesiasticas Personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem, tollunt, aut tempore in aliquot turbant.

16 Impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, quippè illorum, & delegatorum judicia eludentes ad Curiam sæcularem recurrentes, aut contrà illos decernentes, præstantesque auxilium.

17 Vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumq; Ecclesiarum jurisdictionem, vel etiam fructus sequestrantes.

18 Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, & Ecclesiasticis Monasteriis, & eorum fructibus.

19 Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seù criminalibus contrà Ecclesiasticas personas.

20 Occupantes Terras, aut bona Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

Absolutio soli Pontifici reservatur, absolvere præsumentes excommunicantur.

DE

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

1 SUperbus ille Lucifer, qui toto conatu innumeris utitur versutiis, ut hominem in perditionis tartarum, in quo ipse per inobedientiam uritur, perducat; semper circuit, quærens quem devoret,& non cessat tanquam canis ad prædam latrare; tunc magis insidias obtendit, cum homo in extremis laborans, semivivus in lecto decumbit, juxtà Io: Testimonium in Apoc. Descendit ad nos diabolus habens iram magnam, sciens, quia adest modicum tempus. Tunc enim cum res ultima animæ agitur, ad inferos totis viribus deducere conatur; Vt hisce hominis periculis Deus tutamen præberet, Sacramentum extremæ Vnctionis instituit, tanquam firmissimum presidium contrà insidias dœmonis in ultimo agone insidiantis calcaneo. Tria igitur beneficia, & Animæ ultima remedia sunt, quæ ipsius susceptione recipiuntur enumerata à Iacobo Apostolo in sua Epistola Canonica, in qua Sacramentum hoc à Christo institutum promulgavit: remissionem nempe peccatorum post pœnitentiam remansorum: Confortationem Animę ad resistendum diabolicis tentationibus, & roborationem corporis ad tolerandos cruciatus infirmitatis, cum faciliori sanitatis recuperatione, si Animæ saluti expediens erit.

2 Qua de re, ut verbis Provincialis Concilii, ab Eminentissimo Cardinali Vrsino habiti in anno 1693.die 11. Aprilis, utamur, Non est sine animadversione prætereundum à Parochorum complurimis extremæ Vnctionis Sacramentum collaturis, ex culpabili negligentia illud differri,donec ægrotus amissis sensibus,Animam agere incipiat; quod ut Catechismo Romano admonentur, gravissimo peccato eos involvit, cum constet ad hujus Sacramenti gratiam percipiendam, plurimum valere, si ægrotus, cum in eo integra mens, ratio viget, fidemque, & religiosam voluntatem afferre potest, sacro Oleo linia-

 tur.

tur. Idcircò non expectent assentiri, sed ipsi frequentando domos lanquentium, quando viderint, vel ex Medicorum relatione audierint, eos esse in gravissimo periculo vitæ, illos suavitèr disponant ad illud recipiendum cum cordis affectu, & contritione; Explicando illis virtutem tam salutaris Sacramenti, & hoc cum charitate.

3 At quia, ut supra diximus tres utilitates affert hoc Sacramentum in discrimine vitæ existentibus, Curati omnes caveant, ne infirmus in summa hac necessitate fraudatus, decedat, hoc tutamine, quia ultrà strictam rationem, quam sunt reddituri, juxtà illud Prophetę, *sanguinem ejus requiram de manu tua*, alia pœna arbitrio nostro punientur.

4 Sicuti nec ab infirmis differri, nec à Parochis retardari (dum necessitas adest) debet hoc Sacramentum, sic alienum cernimus à regula Ecclesiastica, quòd Sacramentum hoc, nullo quandoque urgente periculo conferatur, quod juxtà Florentinum Concilium, nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet, quare Parochi caveant ne ad declinandum reiteratum incommodum, extremam unctionem statim post sacrosanctum Viaticum conferunt, quando hæc necessitas præcisè non adest, sed separatim hoc Sacramentum ministrent, juxtà Rit. Rom. hoc tit.

5 Quòd, si urgente necessitate sacrosanctum Viaticum, & extremæ Vnctionis Oleum, simul, & semel, ad infirmos deferenda sint, strictè præcipimus Parochis, ut alium Sacerdotem coadjutorem secum ferant, qui sacrum Oleum deferat, & hoc ne ipsi cum Oleo sacro, sacram sinnaxim deferant hoc mandare intelligimus, dummodò absque ægrotantis periculo decedendi absque susceptis his Sacramentis, alius Sacerdos commodè haberi possit.

6 Et

a *Eug.4. in Concil.Flor.*

6 Et quia juxtà Sac. Conc. Trid.(*a*)decretum,ſolus Sacerdos eſt Miniſter hujus Sacramenti, ideòque mandamus, nè quis præter proprium Sacerdotem hoc Sacramentum miniſtrare extrà neceſsitatis caſum, vel abſque Parochi licentia poſsit, & ſi ſit Regularis, curam animarum non habens extrà neceſsitatis caſum, vel abſque Parochi licentia hoc Sacramentum miniſtrare auſus fuerit, (*b*) ſciat ſe incidere in excommunicationem Pontifici reſervatam.

7 Et quia juxtà Trid. Oleum infirmorum, quod eſt materia hujus Sacramenti debet eſſe ab Epiſcopo benedictum, & hoc de neceſsitate Sacramenti; itaùt ſi Presbiter infirmum ungeret Oleo ab Epiſcopo non conſecrato, vel Oleo Cathecuminorum, vel Chriſmatis, Sacramentum eſſe nullum, doceant Doctores; prohibemus Parochis, ne poſt receptum Oleum, in Feria quinta Cœnæ Domini conſecratum, veteri utantur,& decrevit Sac. Cong. Rit. ſed oleum illud vetus cum bombaci comburant igne, & cineres in Sacrario reponantur; ſub pœnis noſtro arbitrio.

8 Si tamen per accidens contigerit, vel per errorem, Parochum uſum fuiſſe, in adminiſtrando hoc Sacramento, Oleo Cathecuminorum, vel Chriſmatis, ut erratum emendet Olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, reiterata Sacramenti forma, juxtà S. Caroli inſtructionem.

9. Si enim contigerit infra annum non ſufficere Oleū conſecratum pro hoc Sacramento miniſtrando,neq;aliud benedictum haberi poſsit; modico Oleo non benedicto in minori quantitate ſuper infuſo reparari poteſt; iuxtà Rit. Rom. rubric. hoc tit.

10 In

a *Seſs.14.de Sacramento Extremæ Vnctionis can.4.*
b *Clem.1.de Privileg. Clem.de privileg.cap.1.Leo X. in Concil.Lateran.ſeſs.11.& conſt.4.dum intrà, Gregor. XV. conſt.18.Inſcrutabilis.*

10 In omnibus locis nostræ Diœcesis, ubi adsunt Regulares, ipsi teneantur oleum, à nobis benedictum, recipere, pro usu ipsorum Regularium infirmorum. Ideòque Parochi locorum ab eisdem Regularibus requisiti, illud benignè impartiantur gratis, ut Sac. Cong. Episcoporum,(a) & Regularium mandavit.

11 Hoc sanctum Oleum custodiatur in vase argenteo, vel stamneo in Ecclesia propè Altare majus in cornu Evangelii in loco visibili, decentèr ornato, & interius circumamicto serico tegumento, benè clauso, cum inscriptione super Ostiolum: OLEUM INFIRMORUM.

12 Cum Parochorum munus non solum sit Sacramenta ministrare, verum, & curam Animarum habere; & licet semper in illis custodiendis, vigiles esse debeant, multò magis quando agitur ne in morte à luporum rabie, idest dœmonum voracitate devorentur; Idcircò mandamus, ut quando aliquis ex eorum Parochianis in periculo vitæ sit constitutus, indeficienter assistant illum, consolantur, & hortentur, ut à curis, periculis, atque amore momentaneæ hujus vitæ, ad spem, & desiderium, mentem erigat, salutis æternæ. Et cum viderint illum sensibus etiam destitutum, continuatim precibus, & orationibus Animam ejus (pretium sanguinis Christi) Deo commendent, juxtà methodum in Rit. Rom., sub tit. *Ordo commendationis Animarum*. Mandantes, super hoc, nostris Vicariis Foraneis, statim Nos certiores facere de observantia, vel inobservantia hujus sanctionis.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1 SIcuti Christo Domino nihil nasci profuit prò redemptione Mundi, nisi redimi profuisset; ità parum nobis profuissent Sacramenta novæ legis ad remedium

a *In una Aesina* 13. *Iulii* 1589.

dium ſpiritualis vitæ acquirendæ recuperandæ, vel conſervandæ, niſi idem Dominus idoneos Miniſtros conſtituiſſet ad illa conficienda, vel miniſtranda, ſicut in Eccleſia triumphante per ordines diſtinctos cœleſtium Spirituum divinæ laudes ante thronum Dei decantantur per ordines diſtinctos; ità congruum erat ſimili Hyerarchico Ordine diſpoſitos eſſe miniſtros in hac militanti Eccleſia, qui prò peccatis noſtris in Miſſæ Sacrificio immaculatam hoſtiam Deo offerent, cæteraque Sacramenta miniſtrarent. Quanta igitur ſit huius Sacramenti Ordinis dignitas, agnoſcant ij, qui hoc charactere ſunt inſigniti. Internuncij enim Altiſſimi ſunt, & licet, ut homines minuti ſunt paulò minus ab Angelis in miniſterio ſuperiores ipſis ſunt. Nullus igitur ad militiam Domini per Ordines Eccleſiaſticos, ſe adſcribat, qui vocatus non ſit à Deo tanquam Aaron; cuius vitam imitari debet, maximi faciendo Eccleſiaſticum ſtatum, Zelum vineæ Domini Sabahot habendo; (*a*) mundum odendo; nam mundus totus in maligno poſitus eſt, & ſimul ſcientiam Sanctorum amando; nam qui doctrina neceſſaria, ad ſuum officium exercendum, non eſt præditus, à Domino repelletur, nè Sacerdotio (*b*) fungatur in æternum.

2 Vocationem Divinam, ut diximus ſuprà, ex Sac. Scriptura, Sanctiſq; Patribus neceſſariam eſſe, evidenter patet, ut quis Eccleſiaſticum ſtatum dignè, & cum utilitate, amplectatur, Sanctoſq; Ordines ſuſcipiat, atque, ut prætermittamus id, quod (*c*) in lege naturæ fiebat, in qua Sacerdotium primogenito tribuebat Deus, nevè de lege ſcripta loquamur, in qua Deus tribum Levi ſibi delegerat, ex ipſa ſola tribu eſſent Miniſtri Altaris, ut ipſe ait, (*d*) *Ego tuli Levitas à filiis Iſrael, eruntque Levitæ mei, Deus etiam voluit, ut ſola Aaronis Familia Sacerdotium exerceret.*

3 Exa-

a *Io:* 5. b *Oſeæ* 4.6. c *Num.cap.*3. d *Exod. cap.*38.

3 Examinatoribus verò noſtris Synodalibus iniungimus ne ad hoc tam grande miniſterium admittant eos, qui vitam illibatam non duxerunt, & ſcientia iuxtà Sac. Conc.Trid.decreta, non præfulgent.

4 Indigni enim malis moribus grave præiudicium inferunt. & deſtruendo quidquid à bonis Presbiteris fit ad ſanctificationem Populorum; promovendi tam ad primam tonſuram, quàm ad Ordines minores, ſive ſacros, habeant requiſita iuxtà Canonicas Sanctiones, quæ à quolibet ex promovendis offerenda, ſunt recognoſcenda à deputandis per nos infrà menſem ante ordinationem, ſivè quibus nec ad ordines, nec ad examen ullus admittatur; (a) Quæ, & qualia ſint requiſita prò unoquoq; ordine, in appendice huius Sýnodi mandamus adnotanda.

5. Nemo admittetur abſq; executione Perſonarum ad ordines Subdiaconatus, Diaconatus, vel Presbiteratus niſi prius peractis per decem dies exercitijs ſpiritualibus in uno ex Monaſterijs, ſeù Conventibus, Regularium in noſtra Civitate degentibus, à nobis aſſignando. (b) Ad primam verò Tonſuram, & ordines minores non promovebitur, niſi priùs exercitia ſpiritualia peregerit per decem dies in ſua propria Parochia directione ſui proprij Parochi, ut expreſsè mandatur ab Innoc.XI., cuius ordinem unuſquiſque legere poterit in appendice huius Synodi.

6 Nemo per Nos cuiuſcumque qualitatis, & conditionis exiſtat admittetur ad ordines percipiendos, qui vel Comam adſcititiam detulerit, vel inceſſerit cum habitu

a *Concil. Cartag.* 4. *can.*22., *can: nullus*, *can. quando*, *can. Epiſcopus ſine*, *diſt.*24., *Trid.ſeſſ.*23., *can* 7.

b *Ex literis Sac.Cong.Epiſc.de mandato Inn.XI.*9.*Octobris* 1682.

bitu parum decenti, *(a)* quo à laicis quò ad formam non differt, iuxtà Divi Caroli monitum.

7 Ad Subdiaconatus Ordinem nemo promovebitur, qui beneficium Ecclesiasticum reddituum ducatorum viginti quinque pacificè non possideat, iuxtà antiquam huius Ecclesiæ praxim; At si ad titulum Patrimonij, gravibus de Causis, respicientibus utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, vobis aliquando visum fuerit, ordinandos assumere teneantur isti ostendere, se actu possidere Patrimonium, vel certo annuo redditu ducatorum viginti quinque, & hoc Patrimonium non litibus obnoxium, neq; hypotecatum, ità ut ab aliquo Repeti, vel obvinci valeat; quæ omnia, authenticis documentis iustificari volumus.

8 Volumus etiam quò ad Patrimonium, nullimodè esse rerum mobilium, vel semoventium, non obstante quacumq;consuetudine: *(b)* & si contigerit cònstitui super annuis censibus, non admittentur, nisi census sit super re immobili, & cum cautionibus iuxtà Sac.Congregationis rescriptum.

9 Et ut opportunis remedijs occurramus fraudibus; quæ in titulis Patrimoniorum solent committi; *(c)* omnibus, & singulis ad ordines Sacros promovendis, inhibemus, ne fictum, falsum, vel alteratum Patrimonium exhibeant in actis nostræ Curiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio cuiuscumq;Ordinis, Nobis reservata; quæ nunquam relaxabitur nisi constituto reali Patrimonio.

10 Nemo promotus ad quoscumq; Ordines ad titulum Beneficij, Pensionis, vel Patrimonij resignare, alie-

K nare,

---

a *5.Conc.Prou.Mediolan.parte 3.tit.de examine §.si quis.*
b *Sac. Cang. Concil. in Vmbriati 3. Novembris* 1594. *&* 21. *Iul.*1629. c *Concil.Trid.sess.21.cap.2. de Refor. S.PiusV.constitutione 75.Roman. Pontif.;Can. Neminem, can.Sanctorum dist.*70.

nare, vel gravare audeat Beneficium, Pentionem, vel Patrimonium, absq; nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia, in scriptis,(a) quia ultra nullitatem actus, ipse per Nos, ipso facto suspensus declarabitur ab Exercitio Ordinum, cuius absolutionem Nobis reservamus, & hoc intelligitur, dummodò aliud Beneficium non subrogaverit, de nostra licentia.

11 Vt verò fraudibus etiam obviam eamus, quæ in apprețijs super bona fructifera, per expertos fieri consuetis possent suboriri; sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Nobis reservatæ, expertos ipsos iubemus veritatem omninò aperire; hoc decretum desumptum est à Synodo Diœcesano Sipontina ab Eminentissimo Vrsino celebrata die prima Julij 1678.

12 Parochi in denunciationibus faciendis, præcipuè prò initiandis ad primam Tonsuram, & ad Ordinem Subdiaconatus, simul, & semel cum ipsis populo denuncient, omnia Canonica impedimenta, de verbo ad verbum, pròut in appendice huius Synodi sunt annotata, ut Populus sciat in quo sit revelaturus contrà facientes, pœna duorum aureorum punientur, de quibus denunciationibus fidem sua manu subscriptam producat in Processu.

13 Titulus Patrimonii, seù donationis, ut plurimum à constituente, seù donante,(a) fieri solet ad vitam ordinandi tantùm, vel ad usumfructum tantùm; declaramus juxtà rescriptum Sacr. Congregationis Episcoporum, hunc titulum per Cancellarium nostræ Curiæ admittendum esse pro valido.

14 Et quia inter alia requisita ad sacros ordines, requiritur peritia Gregoriani cantus, & sacrorum Rituum, jux-

a *Cap. per tuas 37. & cap. penult. de simonia Trid. sess. 21. cap. 2., de Ref.* b *Episcopo Eugubino die 1. Aprilis 1596.*

juxtà Canonicas ſanctiones; Illis inhærendo, ac Synodali Conſtitutioni, notum facimus omnibus, & quibuſcumque in poſterum, in ſacris promovendis, inter alia diſcant cantum Gregorianum, de cujus peritia fidem deferant, aliàs licèt in reliquis, idonei, & habiles reperti fuerint in Subdiaconatus ordine non promovebuntur.

15 Mandamus omnibus, & ſingulis promotis ab alienis Epiſcopis, cum noſtris literis dimiſſorialibus, ut infrà menſem poſt promotionem, regiſtrare faciant Bullas in noſtræ Cancellariæ Regiſtro, ſub pœna librarum quinque ceræ albæ laboratæ, piis uſibus, &c.

16 Et quia promotus ad Subdiaconatus ordinem, ſtatim, & immediatè tenetur ad recitationem Divini Officii, propterea ſtatuimus, neminem per Nos ad hunc ordinem ſacrum eſſe promovendum, quin priùs examinatus, & approbatus fuerit à Decanis noſtri Capituli, Collegiorum S. Angeli, S. Petri, & S. Joannis Baptiſtæ circa methodum Divini Officii ordinandi juxtà rubricas in principio Breviarii Romani appoſitas: à quibus atteſtationem per majorem partem ſuffragiorum habere debeat, præſentandam in proceſſu.

17 Inhærentes Diœceſanæ Synodo à noſtro prædeceſſore Emmanuele Brancaccio celebratæ die duodecima Maii 1668., mandamus omnibus promotis tàm in prima Tonſura, quàm in minoribus ordinibus noſtræ Diœceſis, ut ſtatim ſervitio Parochialis Eccleſiæ ſint omnibus feſtis diebus; Parocho verò in omnibus, quæ ad ſacram miniſtrationem ſpectant omninò obediant ſub pœna arbitrio noſtro: Diaconis, & Subdiaconis ſimilitèr mandamus, ut in omnibus diebus feſtis, dum Miſſa ſolemnis celebratur, aſsiſtant Sacerdoti unuſquiſque in ſuo proprio officio, ſub pœna librarum quinque ceræ albæ laboratæ applicandæ propriis Eccleſiis; Et ut hoc decretum ſervetur, mandamus omnibus noſtris Vicariis foraneis, ut contrà transgreſſores ſtatim exequantur pro pœna, & hoc quo ad eos

in ſacris conſtitutos. At ſi in minoribus conſtituti inobedientes fuerint, ſtatim contra eos diligentem inquiſitionem faciant, quam ad Nos tranſmittant, ut cõtrà eos, juxtà hujus Synodi ſtatuta procedere poſsimus.

18 Vt in totum Sacri Concil. Trid. diſpoſita ſerventur notum facimus, Nos neminem eſſe promoturos de uno ad alium ordinem, niſi priùs in illo ordine ſuſcepto ſe exercuerit, de cujus ordinis exercitio atteſtationem in proceſſu deferat.

19 At quia, ut ſupra diximus, promovendi ad ordines, ſive minores, ſive majores indigent compluribus atteſtationibus, juxta normam in Appendice hujus Synodi apponendam; Decernimus atteſtationes quaſcumque gratis à Parochis expediendas, & ab aliis, uti à Magiſtro Cœremoniarum, à Magiſtro Gregoriani cantus, ab Examinatoribus quo ad ritus, & rubricas, aliiſque ſub pœna librarum quinque ceræ albæ laboratæ, Rev. Seminario applicandæ, exceptis iis atteſtationibus, quæ ex libris Parochialibus deſumuntur; pro quibus ſervetur antiquiſſima taxa noſtræ Curiæ.

20 Pro coronide ſciant omnes ad ordinem Presbiteratus ordinati, unicuique Chriſtiano, nemine excepto, eſſe mandatum, ut proximi ſui ſalutem ſecundum ſuas vires agat, juxtà illud Eccleſiaſtici, (a) *Mandavit illis, unicuique de Proximo ſuo*: Et ſi hoc mandatum laicos obligat, quantò plùs Presbiteros, quorum ope, miniſterio, virtute prædicationis, & adminiſtratione Sacramentorum Deus populos ſanctificare decrevit; Ideòque omnes per nos ordinatos monemus per Sacerdotium ſuſceptum, ipſis onus incumbere populos inſtruere, texte Paulo (b) ad Chorintios, ſi Evangelizavero non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit, neque ullam excuſationem habere de inſufficientia, laborando in vinea Domini, nam con-

a *Cap.* 37. b *Cap.* 9.

contra ipsos exclamat Divus Bernardus, *si multa accepisti, multum da, si parum, & illud tribue*, hoc hortamur in Deum, ne in redditione computorum exclamare velit, *Væ mihi, quia non evangelizavi.*

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

1 MAtrimonium, quod in se continet perpetuum, indissolubilemque nexum, quo duo fiunt una caro; à Mundi Exordio, *(a)* à primis Parentibus initium sumpsit; Quod idem Parens divino afflatus spiritu pronunciavit, Et erunt duo in carne una. *(b)* Et Christus Dominus illis verbis docuit: Quod Deus coniunxit, homo non separet, In lege Evangelica inter Sacramenta novæ legis esse annumerandum Sancta Mater Ecclesia docuit, & docet, quo fit, ut gratiam conferat, coniuges Sanctificet, & unionem Christi cum Ecclesia significet, ut Doctor Gentium tradidit, Viri diligite Vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit prò ea; Igitur cum sit magnum Sacramentum ratione antiquitatis, tum respectu necessariæ utilitatis, ad consequendam humani generis propagationem, Sancta res, Sanctè tractanda est, nè suo frustretur effectu; Contractum ergò ad illud, non veluti bruta, à carnis concupiscentia agitati, & solius libidinis explendæ, animo accedant; sed solum prolem procreandæ, voluntate, simulq; puri, & mundi, ut in omnibus Torus sit immaculatus; & si hoc, ut decet, Sancti Sacramenti venerationem servaverint, videbunt filios, & filias, & filios filiorum suorum, usq; ad tertiam, & quartam generationem.

2 Vt autem quæ per Sacros Canones, & similia, præsertim à Trid: *(c)* Synodo, definita., & tradita sunt prò hoc matrimonio, ritè, rectèq; celebrando, adamussim servari

a *Genes.* 2. b *Matth.* 19. c *Ad Ephes.* 5. d *Trid. sess.* 24.

servari, sequentes Regulas perscribendam duximus.

3 Ante celebrationem Matrimonij faciendam, in facie Ecclesiæ fiant tres denunciationes, à Sacris Canonibus (*e*) præscriptæ, quæ quacumq;ex causa non pretermittantur, absque nostra dispensatione, vel minuantur sub pœna carceris per mensem.

4 Parochus ipsas denunciationes, tribus diebus festivis, de præcepto, faciat inter Missæ parochialis solemnia, clara voce, (*a*) & cum explicatione impedimentorum, matrimonium impedientium; Et si ei aliquod impedimentum, & dubium allatum fuerit, ad alias denunciationes non procedat, sed ad Nos, (*b*) vel nostrum Generalem Vicarium deferat, sub pœna ducatorum sex, Sacristiæ suæ Parochiæ applicanda. Has denunciationes fieri prohibemus absq;mandato nostræ Curiæ, iuxtà antiquam ipsius praxim.

5 Impedimenta tùm impedientia, tùm dirimentia per Parochos, ut diximus Populo significanda habentur in appendice huius Synodi.

6 Nunquam Parochus matrimonium contrahendum proclamet in Ecclesia,(*c*)nisi prius utriusq;sponsi voluntatem, & libertatem perscrutatus fuerit, & adesse cognoverit.

7 Et quia hoc Sacramentum Coniugibus gratiam, auget, Parochi cura sit, ut sponsi à se matrimonio iungendi, accedant ad illud contrahendum, prius muniti pœnitentia, & Eucharistiæ Sacramentis, nè mortali aliquo peccato obstricti, gratiæ, quam eunt accepturi obicent ponant.

8 Si

---

a *Concil.Lat.4.Trid.sess.24.de Ref.matrim.cap.1.*
b *Trid.loco cit.Concil.Calc.3.tit.xen:, cap.32.Rit.Rom. hoc tit.*, §.*denunciationes.* c *Cap.cum inhibitio,de clandestina disp. Rit. Rom. hoc tit.* d *Concil. Prou. Benevent.de Anno* 1693.*tit.43.cap.2.* e *Rit.Rom.hoc tit.*, §.*admoneantur.*

8 Si contrahentes sint diversæ Parochiæ ex Ritualis (a) Romani præscripto, in utraque trinæ denunciationes præmittantur.

9 Quicumque immemor æterni supplicii, falsum aliquod impedimentum, malitiosè obiicere ausus fuerit excommunicationi (b) ipso facto incurrendæ subjaciat: Similitèr scientes vera impedimenta postquam denunciationes in Ecclesia, factas fuisse, intellexerint eas non revelaverint, in eamdem excommunicationē incidisse sciant.

10 Vltra emolumentum à Nobis taxatum, pro denunciationibus, & attestatione earum, in hac Synodo sub tit. de Sacramento Ordinis, Parochi, vel alii quicumque nihil aliud directè, vel indirectè, sub pœnis in præcitato loco contentis, recipiant.

11 Ex causis mentem nostram moventibus, & ex debito nostri pastoralis officii strictè inibemus futuris Cōjugibus ne post peracta sponsalia, sub quocumque tit., & prætextu simul cohabitent sub pœna excommunicationis ipso facto incurrēda, à qua, nisi à nobis absolvi possint.

12 De scandalis publicis, quæ in Animarum perniciem continuo committuntur à complurimis, qui puellas recipiunt, & ad meretricandum inducunt, cum ficta promissione de futuro matrimonio, opportunis remediis, Domino suggerente occurramus; hac nostra Synodali Constitutione decernimus, quod si quis in futurum, diabolo suggerente, aliquam Virginem, vel viduam ad carnalia induxerit, ficta promissione de futuro matrimonio, volumus etiam ipsum incurrere in excommunicationem ipso facto incurrendam; Parochis verò injungimus, ut hæc duo decreta populo denuncient; semper ac contigerit, per ipsos fieri denunciationes matrimoniorum.

13 Cum Tridentinum nihil innovaverit circa hoc Sa-

a *§. si vero.* b *Cap. cum inhibitio de clandest. disp.*, *§. fin.* 3. *Conc. Prov. S. Caroli loc. cit.*

Sacramentum, nisi pro præsentia Parochi, ex hoc sciant Parochi, matrimonium posse validè; & licitè contrahi per Procuratorem coram Parocho, sicut sine dubio fiebat, & fieri poterat, antè Conc. Tridentinum Procurator autem non admittatur, nisi habeat speciale mandatum, & unus ex contrahentibus sit extrà nostram Diœcesim, & priùs certiorata nostra Curia de mandato procurationis, sub pœna contra facientibus contra secundam, vel tertiam partem hujus decreti ducatorum sex. Contrà verò primam partem, volumus Parochum esse ipso jure ab officio suspensum ad nostrum beneplacitum.

14 Absque nostra speciali licentia, vel nostri Generalis Vicarii, inhibemus Parochos, ne matrimoniis intrà personas quascumque contrahendis assistant, neque ante Solis ortum, neque post Solis occasum: quo matrimonio contracto, dummodò non sint prohibitæ sollemnitates nuptiarum, Parochus missam de sponso, & sponsa celebrabit, in qua sponsi ipsi devotè intersint, pro cujus celebratione Parochus, neque eleemosinam, neque candelas petere possit, sub pœna librarum duarum ceræ albæ.

15 Et quia pro decenti, & convenienti ritu hujus Sacramenti locus conveniens celebrationis ipsius est Ecclesia, *(a)* prohibemus Parochis, ne matrimoniis assistant in domibus privatis, neque in aliis Ecclesiis, quam in Parochialibus, absque nostra speciali licentia. Si secus egerint, vel permiserint pœna arbitrio nostro luent.

16 Multoties evenit absque legitimis, & debitis denunciationibus, ac solemnitatibus à Trid. *(b)* Synodo præscriptis, & aliis cœremoniis, ut in Rit., matrimonium per verba de præsenti inter contrahentes celebrari coram Parocho fraudulenter, vel violenter adducto; ut hoc scan-

a *Synod. Prov. Benev. ab Eminentiss. Ursino celebrat. anno 1693.* b *Sess. 24. Cap. cum inhibitio de clandestin. disp. §. fin.*

ſcandalum in futurum evitare poſsimus, declaramus contrahentes matrimonium, eo modo, & forma, quò ſupra excommunicationis pœnam Nobis reſervatam ipſo facto incurrere, in quam excommunicationem, auxilium, conſilium, vel favorem dantes, incurrant; etiam hac noſtra conſtitutione decernimus. Si quis verò Parochus, vel alius legitimus Miniſter, ſupradictis matrimoniis malitiosè aſſiſterit, ſciat per Nos eſſe puniendum pœna ducatorum decem applicandorum pro alicui puellæ loci illius.

16 Si quis, ut diximus in titulo de maleficiis, execrandis artibus, maleficia, ligaturas, faſcinatione sve pro impediendo uſu matrimonii facere auſus fuerit, conjuges reddendo frigidos, & maleficiatos, ſciat excommunicationem Nobis reſervatam ipſo facto incurrere.

Advertant Parochi ſponſos cohabitare nõ permittant, niſi prius coram Nobis, vel Generali noſtro Vicario literas diſpenſationis præſentaverint, & ſolemnitates adimpleverint: aliàs copulas habentes nova indigent diſpenſatione, ex Reſcripto Sacræ Congregationis, Concil. Tridentin.per hæc verba, *Qui obtinuerint literas diſpenſationis, ſuprà gradu prohibito, & eis non præſentatis contraxerunt*, (*a*) *vel ſe carnaliter cognoverunt, nova egere diſpenſatione.*

17 Parochi ultra viginti quatuor horas, non protrahant, contractus matrimoniales, in librum referre; In quo deſcribant diem, & Annum, (*b*) nomina, & cognomina Contrahentium, & Teſtium, & locum, in quo matrimonium fuit celebratum, iuxtà methodum, in fine Rit.Rom. appoſitum, quem librum penes ſe retineat, quolibet Anno in Sancta Viſitatione præſentandum.

18 Noſtræ Curiæ officiales, in formando Proceſſu, ſuprà

L

a *Synod. Arianen. Anno* 1668. *hoc tit:* b *Trid. cit. ſeſs.cap.p.de Ref.matrim.*

suprà statu libero Contrahentium, (a) adamussim observent instructiones Sacræ Congregationis Vniversalis Inquisitionis de Vrbe, circa testes recipiendos suprà eodem statu libero, & tantummodò illas Personas, probatas, & cognitas admittant, & in exactione mercedis prò attestatione status liberi, omninò observent taxam de ordine Innoc.XI. Sanctæ memoriæ emanatā die Octobris 1676.

19 Prò advenis secum ducentibus mulieres, & cum falsis attestationibus Vxores esse fingentibus, cum re vera sint Concubinæ, confirmamus Decretum Synodale anni 1668., sub hoc titulo positum, nempè, quò ad forum conscientiæ, sint ipso Iure excommunicati: Quò ad Forum fori, pœnam exilij per triennium à tota nostra Diœcesi, quò ad virum; Quò ad mulierem fustigationis, & Exilij.

20 Et quia matrimonij finis est Prolis procreatio, sciant coniuges non esse eis permissum filios suos antè annum completum secum detinere in eodem lecto, nam læthale peccatum non evitabunt, à quo, à nemine, præter quam à Nobis, vel à nostro Generali Vicario absolvi posse decernimus; quod peccatum tunc evitare possunt, cum cautela, vel repaulo utuntur, similiter servari decernimus à nutricibus, ut diximus in titulo de casibus reservatis.

21 Magnum contemptum huic Sacramento est, Vxorem habentes etiam Concubinas retinere proprio sumptu, vel domi, vel extrà, & magna iniuria est Christo Domino, solutos concubinas, magno fidelium scandalo detinere: Nos igitùr, ut huic tam malo frequenti, remedium opportunum dare possimus, etiam de speciali Trid.(b) Synodi, dispensatione, & facultate Nobis tradita, huius-

a *Sac.Cong.S. Offic.21.August.* 1670. b *Sess. 24 de Ref.matrim.cap.*8.

huiusmodi viros, sivè mulieres, tum solutos, tum Coniugatos, si præmissis admonitionibus, ut de Iure à mutua consuetudine non seiunxerint, Excommunicationis Sententiam Nobis reservatam volumus ipso facto incurrere, cum publica affixione cedularum, pròut hactenus fieri consuevit: à qua Excommunicatione, nisi plenè Nobis constiterit de separatione, nullatenus absolventur.

22 Concubinarij pròut diximus in tit.de Sacramentò Pœnitentiæ, in §.de casibus reservatis cum censura, nullò facto à Confessarijs absolvi possunt, nisi facta reali separatione, & tori, & domus, per menses; Et si eas extrà domum detineant, nisi priùs constet mensem non adfuisse accessum ad domum Concubinæ, & vice versa.

23 Sciant etiam Parochi, ipsos teneri, dum nuptias benedicunt, coniugès conscios facere suæ obligationis, & præcipuè in educandis filijs, quam obligationem Sacra Scriptura sæpè antè oculos ipsorum ponit, Filij tibi sunt, ærudi illos, & curva illos à pueritia illorum. (a) Doce filium tuum, & operare in illo. Quapropter memores faciant illos Coniuges dicto Proverbiorum. (b) *Filius sapiens lætificat Patrem: filius verò stultus mæstitia est matris suæ. (c) Ærudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias Animæ tuæ. Puer, qui dimittitur voluntatis suæ confundit matrem suam*; (d) & Ecclesiastici: *Qui docet filiam suum laudabitur ab illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.*

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

1 Clericorum dignitas, & status, cum sit Genus electum, Populus acquisitionis, & reale Sacerdotium; nihilominus (ò deploranda nostri Evi calamitas)

a *Ecclesiast.cap.7., Et Cap.*300. b *Cap.*10. c *Cap.*29. d *Cap.*300.

ità terrenarum occupationum vilissimo servitio sè immiscent, & de sublimi gradu ad Infima deprimuntur; ut nō abs re de illis Spir. Paraclitus per Prophetam loquatur: *Ego dixi Dij estis, & filij Excelsis omnes: Vos autem sicut homines moriemini. & sicut unus de principibus cadetis:* Sal Terræ à Domino appellantur, infatuatum tamen est, & ab hominibus conculcatum, lux mundi sordibus carnis obscurata. Lucerna ardens, malis operibus extinctam. Candelabrum aureum Tabernaculi, defectu olei Amoris in proximum eclissatum. Ciuitas supra montem posita, eorum desolata superbia. Columna Ecclesia, per incontinentiam in mille partes infracta, & demum Domestici Dei superædificati super Fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, & Cives Paradisi, facti sunt Sacerdotes Sathanæ, depopulatores Cœli, & populatores Tartari. Studeant igitur, qui hac dignitate fulgent, vitæ innocentia, & morum honestate ità splendere, ut lumen sint Omnibus, (a) qui in domo Domini sunt, nihil enim magis ad pietatem, & Dei cultum movet, quam exemplum eorum, qui sè divino ministerio manciparunt. Et ut semper ad hoc intenti sint, ante Oculos tremendam comminationem Domini Exercituum per Malachiam habeant. (b) *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos de lege; irritum fecisti pactum, et Ego dedi vos contemptibiles omnibus populis*. Et memores sint pacti cum Domino initi in susceptione Ecclesiastici status: (c) ut non vituperetur ministerium nostrum.

2 Monitos primò esse volumus Clericos tàm in minoribus, quàm in maioribus Ordinibus constitutos, iis qualitatibus præditos esse debere, quas Doctor Gentium (d) ad Titum, & Timotheum scribens enumerat, nempè, ut sint irreprehensibiles, sobrii, prudentes, pudici, hospitales,

---

a *Trid. sess. 2. de reformat. c. 1.* b *p. 2.* c *2 1. Corint. 6.*
d *Tit. 1. Timot. 3.*

tales, doctores, benigni, justi, sancti, continentes: non vinolenti, non percussores, non litigiosi, &c. & sine crimine aliquo, ut sint non dissipatores, sed dispensatores ministeriorum Dei, ne qui foris sunt aliquid mali de illis dicere audeant.

3 Monitos secundo esse volumus Ecclesiasticos esse Angelos Dei, ideòque angelicam in terris vitam ducant, ut dicere verè possint Dominus pars hæreditatis meæ. Et ne sint de iis, de quibus Mellifluus Bernardus conqueritur de Clericis: *quid dicam, nàm aliud sunt, aliud agunt, & aliud videri volunt: in habendis temporalibus sunt, ut laici, in assequendis præbendis, ut Clerici. In plateis, ut milites, in vestimentis, ut mulieres, & tamen non laborant, ut laici, non prædicant, ut Clerici, non fructificant, ut mulieres, nec pugnant, ut milites: Cujus ergo ordinis sunt? nullius: & eos credo ordinandos ubi nullus ordo, sed sempiternus orror inhabitat.*

4 Tertio monitos esse volumus os eorum non esse maledictionibus plenum; non aliis detrahant; ad invicem non se mordeant, & lacerent, à litibus, jurgiis, rixis, & controversiis se abstineant: tales enim sunt Deo odibiles, & hominibus abominabiles. Loquantur igitur doctrinam sanam, & ut Divus Gregorius monet: sint in voce cauti, & in silentio discreti.

5 Quarto Ecclesiasticam professionem probent habitu, & incessu, nàm ex extrinseco cognoscitur intrinsecum; ideòque eorum habitus non sit nimis exquisitus, & sumtuosus, neque sordidus, & rusticus, & lacerus, (a) sed modestus tàm domi, quàm extra. Sic enim habitus extrinsecus nigri coloris, & interior ejusdem, vel alterius modesti coloris, non tamen rubei, vel viridis, & in omnibus

---

a *Concil. Mediolanense p. par. 2. tit. de Cler. veste cap. Clerici 21. de vita, & honestate Cler. Trid. sess. 14. c. 6. & sess. 22. cap. p. & sess. 24. cap. 12. de reformatione.*

bus differat (loquendo de veste exteriori) à vestibus, & usu laicorum: ipsam tamen vestem exteriorem semper talarem deferant in Ecclesia, dum divina peraguntur, ut diximus in tit.de celeb.Missarum sub pœnis in eadem Const.contentis. Subcollaria etiam sint nigri coloris. Tibialia, & Calciamenta, & omnia hæc non sint sordida, & vilia, sed simplicia, & munda.

6 Sciant omnes Clerici, tàm beneficiati, quam alij in minoribus constituti, quòd si habitum, & tonsuram Clericalem non gestaverint, (a) pœnis iuxta sacros canones punientur.

7 Nemo est, cui manifestum non sit, quàm indecens, & ignominiosum sit Clericis Buffones, aùt Ioculatores se facere, quia ex huiusmodi turpitudine Ecclesiastica dignitas coinquinatur ideò strictè mandamus omnibus, & quibuscumque Ecclesiasticis, (b) nè quis eorum larvatus incedat, nèc larvarum monstra per vicos, plateas, vel domos associare præsumat. (c) Nemo in comedijs recitare audeat, nisi fortè repræsentationes piæ fuerint, & tunc de expressa nostra licentia. Choreis non intersint, nec ipsas ducant, signanter cùm mulieribus, vel coram illis, etiam in occulto, sub pœna nostro arbitrio infligenda.

8 Quàm turpè sit Clericorum statui, & dignitati se immiscere cum hominibus vitam ducentibus licentiosam, & principaliter noctis tempore, ideòque prohibemus Ecclesiasticis (d) omnibus, ut se abstineant à deambulationibus cum cantilenis, & musicis instrumentis, noctuque, diùque sub pœna Carceris formalis per tres menses.

9 Cle-

a *Sac.Congr. Concilij in una Melfitan.die.* 13.*Septembris* 1675.*Concil.Provinc.Beneventana* 1693.*hoc tit.*

b *Cap.unico de vita, & honestate Cler.* c *Can. non oportet de cons.dist.*5.*Concil.Provinciale Beneven.loc. citato.* d *Cap.Clerici* 2.*de vita, & honestate Clericorum. Concil.Provinciale Beneu. loc. citato.*

9 Clerici Omnes à ludis taxillorum, aùt alearum se abstineant sub pœna Carceris formalis unius mensis si in loco publico, (a) si verò privatim carolenorum triginta pauperibus distribuenda.

10 Nemo Clericorum anulos in digitis ferre audeat, nisi dignitas eis suffragatur(b) sub pœna ducatorum quinque, & amissionis anulorum Pauperibus distribuenda, cum hoc eis expresse sit prohibitum.

11 Sub Christi Vexillo militantes non alia arma agnoscant, quàm Sacros libros, & Orationes: Armorum enim gestatio homines audaciores, crudeliores, & pacis perturbatores facit. Nos igitur, qui Ecclesiasticos nostros Sanctos,& in paceChristi volumus,(c) cunctis nostris Ecclesiasticis omnium Armorum usum strictè prohibemus, exceptis cultellis ad domesticum vitæ opus accomodatis, sub infrascriptis pœnis videlicèt:Prò delatione sclopi parvuli vulgò dicto Archibugietto, seù alterius tormentuli, aut coltelli cuiusvis generis, quæ omnia arma brevioris mensuræ trium palmorum sint, sub pœna exilij annorum trium.

12 Nemo supradicta Arma in præcedenti decreto descripta domi detinere audeat, sub pœna per annum exilij.

13 Qui verò ex Clericis alia arma deferre ausus fuerit absque nostra expressa licentia, si de nocte, ultra amissionem illorum pœnam ducatorum decem incurret; si in die pœnam ducatorum quatuor, & amissionis armorum.

14 Vnanimi consensu Patruum, & Sacrorum Canonum decretis cum prohibita sit venatio Clamorosa, utpotè, quæ facit homines inter feras brutales, & in Syluis Sylvestres: qui propterea venationem huiusmodi inie-

rint

a *Can. Clericum distint.46.Trid sess. 22. de refor. cap.*

b *S.Rituum Cong.apud Gavan.2.Februar.1623.*

c *Cap.Clerici de vita, & honestate Clericorum.*

rint, ultra pœnas à Sacris Canonibus ſtatutas; altera ducatorum ſex plectendos eſſe decernimus.

15 Qui amat tenebras odit lucem, ideòque nemo ex Eccleſiaſticis poſt duas noctis horas de domo exeat deambulando, niſi neceſſitas urgeat, & tunc lumen per ſe, vel per alium deferendo ſub pœna noſtro arbitrio.

16 Nemo ex Eccleſiaſticis in Tribunalibus laicis officium Advocati, (*a*) vel Procuratoris agat, nec cauſas defendat, niſi prò ſeipſis, & prò Eccleſijs, prò Pauperibus, & Conſanguineis in primo, & ſecundo gradu; Tutelas, curaſque aliorum, præter Conſanguineorum, ut ſupra, non ſuſcipiant. Quærelam criminalem in dicto Foro non dent, neque teſtimonium ferant, niſi priùs præſtito in noſtro Tribunali Iuramento. Quod ſi neceſſitas urgeat aliquid ex his obire, habeant à Noſtra Curia facultatem in ſcriptis, qui vero contrafècerit, pœna ducatorum ſex punietur.

17 At quia, ut Sanctus Laurentius Iuſtinianus norma, & exemplar Sacerdotum non ſolum, verum etiam, & Epiſcoporum, plorando exclamat: *Sexus enim muliebris ſemper mihi ſuſpectus fuit, ut plurimùm eo utitur Dæmon*. Et Sanctus Vincentius Ferrerius clamare non ceſſat: *Mulier viva urit, mortua denigrat*. Recordentur Eccleſiaſtici omnes eorum, quæ Sacri Canones edixerunt de coabitatione cum Mulieribus, etiã conſanguineis, & Affinibus: (*b*) Ideò ſtrictè eis præcipimus, ut arceant ab eorum ſervitio ancillas juvenes, & in ſui famulatum non habeant, niſi fœminas optimæ famæ, & ætatis adminus quinquaginta annorum, obtenta prius à nobis licentia,

a *Concil.Rom.ſub Sylveſtro cap.16.can.12.q.1.Trid.ſeſſ.22.de refor.cap.pr. cap. cupiens 12.q.2. cap.Sacerdotib. et cap.p.de poſtulando* b *cap.p.de coabitatione Cler.et mulier.can.interdixit diſt.* 13. *cap.ſi quis de coabitatione Clericor.et mulier.*

tia, si quis autem contra nostram sanctionem agere præsumpserit, pœna carceris formalis per tres menses punietur.

18 At si contingerit aliquem ex Ecclesiasticis *(a)* cũ sũmo Ecclesiasticæ militiæ dedecore,& Populi scandalo in impudicitiæ,& Concubinatus sordibus versari, quòd non credimus, cum Ecclesiastici Omnes Nostræ Diœcesis sint Iudicio nostro purissimi, sciant per Nos irremisibilitèr esse puniendos ad tenorem Sacrorum Canonum cum Censuris, & privatione non solum fructuum,verùm etiã, & Beneficiorum Ecclesiasticorum. Angeli lucis,quia sunt, angelicam vitam ducere debent, & cum Angelis tantùm familiaritatem habere:propterea eis prohibemus ne doceant mulieres, vel Puellas legere, scribere,çanere, & sonitus instrumenta pertractare, vel aliquid aliud, quod monitum Sanctus Carolus in suo provinciali Concilio tit.2.dec.32.tradidit. Caueant de contrario alias carcere formali nostro arbitrio punientur.

19 Interdicimus Clericis omnibus medicinæ, aùt Chirurgiæ artis exercitium,etiam seclusa carnis incisione sub pœnis iuxta Sacros Canones, *(b)* & alijs nostro arbitrio.

20 Negotiationes illicitas damnatas ab Apostolicis Constitutionibus effugiant: *(c)* At si illas agere deprehensi fuerint, volumus res ipsas pijs usibus applicari, & negotiatores alijs pœnis arbitrio nostro subiacere.

21 Præsenti hac nostra Constitutione monemus, & monendo præcipimus omnibus, & singulis Clericis etiam primæ Tonsuræ, nè habitũ Clericalem prò eorum

M arbi-

a *Trid.sess.21.de refor.c.14.S. PiusV.constit.horrendum*
b *cap.sententiam cap.fin. nè Clerici V.Monaci Concil. Prou.S.Caroli par.2.tit.de negotijs.* c *cap.21.nè Clerici V.Monaci.cap.consequens 88.distin. cap.fin.de vita, & honestate Cler.*

arbitrio dimittant, neque Clericatui renuncient, nisi coram Nobis, vel nostro Vicario Generali, & per actum publicum prævio decreto: Annullantes omnes renunciationes coram quibuscunque alijs nostris Officialibus faciendas, etiam mediante actu publici Notarij, quas nullas, & inualidas, nulliusque roboris esse decernimus: Sed tali renunciatione non obstante, renunciantem adhùc nostræ Curiæ subiectum esse volumus. Quinimò tales eo modo renunciantes volumus incurrere pœnam ducatorum decem pijs usibus, &c. Eandem pœnam volumus incurrere eum, qui habitum dimissum ex legitima causa, & cum nostra speciali licentia, propria authoritate reassumere ausus fuerit sine nostro novo decreto, & dispensatione.

22 Clericus quicunque de præsenti matrimonium contrahens censetur tacitè Clericatui renunciare per talem actum. Ideòque post contractum ipsum habitum, & Clericalem Tonsuram gestare non audeat absque nostra speciali dispensatione, & prævia informatione, quòd cum unica, & virgine contraxerit, alias habitus gestatione nullo privilegio neque fori, neque Canonis gaudeat, & pœnis arbitrio nostro punietur.

23 Nemo, qui clericali charactere non sit insignitus, & exceptis alijs Diaconis silvaticis, & ministris nostræ Curiæ audeat clericalem habitum, sivè subtanam Clericorum more gestare quacunque ex causa, & maximè tempore carnis privii istrionicè, & larvatè incedendo, cum hoc in derisum Religionis sit: neque etiam aliquo alio habitu, quo Religiones quæcunque etiam Eremitarum utuntur, sub pœna excommunicationis nobis reservata ipso facto incurrenda, & qui easdem vestes eisdem dederint, si Ecclesiastici sint pœna carceris arbitrio nostro punientur.

24 Et quia ex nimia Secularium personarum familiaritate plerumque Clericalis dignitatis contemptus profi-

proficiſcitur, in Domino hortamur Clericos Omnes noſtræ Diœceſis, ut Laicorum conſortia intima aufugiant, excepto caſu neceſſarij commercij, & occaſione eiſdem corporaliter, vel ſpiritualiter ſubveniendi, confabulationes continuas cum eis non habeant, nè eorum miniſterium vituperetur: *(a)* Otia fugiant, & quia Dei miniſtri ſunt in lege eius meditentur die, ac nocte.

25 Et quia nonnulli ſunt, qui unum pedem in Divinis, *(b)* & alterum in carnalibus detinent, & à laicis non ſunt diſtincti, quales ſunt Clerici Coniugati; Iis notum facimus, tunc eos Clericali privilegio gaudere, ſi ſint Coniugati cum unica tantum, & Virgine, habitum, & Tonſuram Clericalem geſtaverint, & alicui Eccleſiæ inſervierint, alias ſi prædicta requiſita non habuerint, ſciant in Clericorum numero eos adſcriptos non eſſe.

26 Item prò ratione Ordinis ſemper geſtant coronam ad modum ſferæ abraſo Capillo, ut Clericorum mens ad Cœleſtia elevetur, cum diſtinctione tamen quò ad latitudinem, *(c)* & circulum, ut adſit diſtinctio inter gradus, & Ordines Eccleſiaſticos.

27 Et, ut inquit Apoſtolus: *(d)* Vir ſi comam nutriat ignominia eſt illi, *(e)* quanto magis ijs, qui ſeculi vanitatibus renunciarunt, uti ſunt Eccleſiaſtici; quibus præcipimus nè comam nutriant, ſed illam tonſam ità habeant, ut ſenſus viſus, & auditus pateat; neque barbam, ſed ſæpè illam recidant nè ſit impedimento ſumentibus Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & hoc ſub pœnis arbitrio noſtro.

a *Sixti V. bulla* 20. *Maij* 1589. *in bullario Quarant.*
b *cap. p. de Cler. coniugatis in* 6. *Trid. ſeſ.* 23. *de refor. cap.* 6. c *glos. in Clem.* 3. *verb. & tonſuram Concil. Tolet.* 4. d *p. Corint.* e *cap. non liceat* 2. *diſt.* 23. *cap. ut Clerici extra de vita, & honeſtate Cler. Gavan. ver. Cler. num.* 29.

28 Clerici quicumque nostræ Diœcesis Dominis temporalibus Agentes,(*a*)Factores,negotiorum Gestores rationem præpositi, aut domui, vel Capserij nullo modo sint sub pœna excommunicationis: neque illis deserviant in ullo rurali, vel vili opere, etiam venationis causa sub eadem pœna.

29 Quicumque ex nostris Ecclesiasticis Receptator Banditorum, Foriudicatorum,& aliorum hominum facinorosorum,vel eis dederit aliquo modo auxiliũ, seù illos duxerit ad aliquod malum patrandum,ultra suspensionis pœnam ipso facto incurrendam, pro prima vice carcere formali per annum punietur,pro secunda per tricennium exulabit.

30 At quia ex habitù dignoscitur personarum qualitas; quicunque Ecclesiasticus absque habitu Clericali incedens, fuerit deprehensus nulla existenti causa de Iure permissa, pro prima vice carcere formali per dies quindecim punietur,pro secunda vice pœna duplicabitur.

31 Nè detur locus Filijs Iniquitatis iniustè vexandi Clericos, hac nostra Constitutione decernimus, non esse destinandos Commissarios pro informationibus capiendis,nisi priùs abAccusatore fuerit factum depositum pro dietis persolvendis, criminibus non probatis.

32 Indecens est, ut Ecclesiastici antequam Sacrum peragant, vel dum in Divinis assistunt, tabaccum vulgò dictum in corda fumant: nos igitur, ut tali indecentiæ remedijs omnibus occurramus, sequentes authoritatem venerabilis ArchiepiscopiToribij Alphonsi Amogroveio in suo Concilio Provinciali Limano;(*b*) Cardinalis Francisci Mariæ Brancaccio in Synodo Tusculana anni 1699. de vita, & honestate Clericorum, & Illustrissimi Iosephi Crispini Episcopi Amerinensis Apostolici Visitatoris in Diœ-

a *Syn.Diœces.an.*1668. b *Ann.* 1583. *act.* 3. *cap.* 24.& *an.*1604.*cap.*29.

Diœcesibus Prænestina, & Albana, anno 1704 cap.5.§. prim., mandamus omnibus Ecclesiasticis, ut antè missæ celebrationem, tabaccum vulgò dictum in fronda, ne fumant.

33 Ecclesiasticis quibuscunque strictè prohibemus, nè absque speciali dispensatione audeant deferre Comam vulgò dictam, pirucca, sub pœna ducatorum decem Reu. Seminario applicanda.

34 Cum Ecclesiasticorum munus, & Officium sit negotia spiritualia pertractare; (a) & non terrena, & temporalia, abstineant omnes ij à conductione Gabellarum publicarum, & à quocumque alio officio servili laico sub pœna nullitatis actus, & alijs gravissimis arbitrio nostro infligendis.

35 Tandem sciant Clerici per Clericalem Ordinem non licentiam peccandi, sed necessitatem benè vivendi eos assequtos esse, ità igitur vivant, ut exemplo cæteris, benè vivendi esse possint, caveantque, nè contra accidat, ut sint laqueum fidelium Animabus: teneantque mente, quod nugæ in Ore Sacerdotum sunt Sacrilegia, ut ait Divus Crisostomus, & ex S. Gregorio Papa: (b) *Id plerunque, quod in laicis culpa non est, crimen est in Sacro ordine constitutis.*

36 Aliud monitum saluberrimum Ecclesiasticis subministrat Eminentissimus Cardinalis Vincentius Maria Vrsinus Archiepiscopus Beneventanus in Synodo Tusculana, (c) quam præside Illustrissimo Archiepiscopo Hidruntino Francisco Maria de Asta Visitatore Apostolico convocavit: Id sibi suadeant, inquit, ut omninò ab eorum mentibus eliminetur falsissima, ac prava illa opinio, qua nonnulli infelicitèr vinciuntur, ut sibi putent curam Animarum non habentes sola missæ celebratione, ac

a *Innoc. XI. 16. Martij* 1697. b *lib. 7. epist. 14.* c *Ann.* 1703. *c.* 10.

ac divini Officij recitatione Sacerdotali miniſterio ſatisfacere; Cum potius meminiſſe debeant ſe à Deo electos eſſe iuſtitiæ operibus, bonarumque virtutum exemplo, aliorum animas condire, & charitatis Operibus eorum corda præſervare teneantur. Et ſic habitu inceſſu, ac converſatione reliquis ædificatione eſſe curent, potiſsimum in Sacrarum litterarum ſtudio ſint aſsidui, ut illud Petri Apoſtoli adimpleant: *Parati reſpondere omni quærenti nos.*

DE REVENDO SEMINARIO

1 MVneris noſtri onus à primo ingreſſu ad regimen noſtræ Diœceſis nos duxit, zelum, ac pietatis Opera S. Caroli omnium Epiſcoporum Exemplaris, & ſalutarium Sacri Conc. Trid. Sanctionum accerrimi Sectatoris, imitari. Complurima enim iſte Antiſtitum norma erexit in Mediolanenſi Diœceſi Collegia; in quibus iuventus prona ad malum ab adoleſcentia ſua à teneris annis ad pietatem, religionem, & cultum erga Deum dirigeretur. Invenimus enim in Civitate Seminarium antiquiſsimum ab Octavio Ridulfo S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Antiſtite Arianenſi reſtauratum, poſteà ità dirutum, de quo dici poterat: hic fuit Illium, & ingens Gloria Teucrorum: quo reſtaurato, imò potius funditus renovato, imitante Sapientiam, quæ miſit Ancillas ſuas, ut vocarent ad Arcem, & ad mænia Civitatis, *(a)* si quis eſt parvulus veniat ad me: noſtro Edicto mandavimus, ut qui de Iure tenerentur ad contribuendum expensis prò Alumnis in illo detinendis, notam consignaret Eccleſiaſticorum introituum. Fuerunt ad hunc effectum electi Deputati, tùm per nos, tùm per noſtrum Reverendiſsimum Capitulum, & Clerum prò

---

a *Prover.* 9.

prò taxa facienda, qua facta, & aggregatis cum consilio Deputatorum pluribus Ecclesiasticis beneficijs simplicibus, Alumnos introduximus sub die 30. Novembris 1698. & ad præsens existunt, qui optimis eruditi magistris, liberalibus disciplinis, Ecclesiasticis dogmatibus, ritibus, & cantu Gregoriano, philosophiæ, & moralis Theologiæ operam navare nituntur, ast, ut in hac Ecclesiasticæ militiæ palestra Tyrones sint, qui fructum dare possint tempore suo, præcipuè in administrandis Parochijs, quibus beneficiorum stipendia elargiuntur, sequentes regulas servandas esse præcipimus.

2 Et quia annui redditus Seminarij cum beneficijs annexis non sunt sufficientes prò expensis necessarijs, & magna ex parte ex nostræ Diœcesis Cappellis percipiuntur, ideòque ante omnia mandamus, nè Alumni, detinendi ipsius expensis, excedant numerum duodecimum.

3 Nullus ad Seminarium admittatur absque nostra licentia in scriptis obtenta; & absque sequentibus conditionibus ex Tridentino requisitis (a) Primò, ùt natales habeat in nostra Diœcesi ex legitimo matrimonio. Secūdo nè sit minor duodecim annorum, & nè excedat vigesimum. Tertio, ut sciat saltem legere, & scribere, & talis indolis appareat, & voluntatis, ut spem Ecclesiæ inserviendi præseferat. Quarto, ut sit pauper, & cæteris paribus volumus præferri nobilem ignobili. Quinto, ut sit confirmatus, vel in ipso ingressu Confirmationem recipiat. Sextò calleat rudimenta fidei, & attestationem deferat de frequentatione Sacramentorum, & si sit puber, afferat fidem Curiæ laicalis, quod non sit inquisitus, delinquens, contumax, &c. Septimo afferat fidem medici, non esse aliquo morbo habituali infectum.

Cum hoc decreto non intendimus excludere alios cōmo-

---

a *Sess.* 23. *c.* 18.

modos, in Seminario ingredi volentes, dummodò pro victualibus solvant cibbaria, iuxtà tassam per nos præscriptam in constitutionibus eiusdem Seminarij.

4 Et quia initiũ Sapientiæ est timor Domini Nos S. Caroli instructiones imitantes mandamus,(a)ut post aliquot dies admissionis alumnorum in seminario, unusquisque per decem dies exercitijs spiritualibus vacare teneatur, in quibus totius vitæ generalem confessionem peragere habeat.

5 CumSeminarium sit quædam species Religionis, in quo regulis, et statutis Alumni subiacere tenētur, mādamus regulas, & statuta pro recto gubernio ipsius tùm spirituali, tùm temporali, esse desumendas ex instructionibus Eminentissimi Vrsini Archiepiscopi Beneventani, quas ipse in Seminario S. Beneventanæ Ecclesiæ observare mandavit.

6 Admittendi ad Seminarium, ultrà necessariam suppellectilem, (b)secum etiam deferant vestes Clericales, quas in Seminario deferre poterint nigri coloris; extrà vero non nisi violacij coloris saltem vestis superior. Femoralia, tibialia, & calceamenta modesta, & uniformia. Simulque deferant superpelliceum, & biretum Clericale.

7 Cum foras prodegunt,(c)nè oculos hùc, illùc circumferant, aùt aliquid indecorum, aùt minùs conveniens in gestu, vel sermone admittant.

8 Invigilet etiam Rector nè recipiantur, vel mittantur litteræ absque eius expressa licentia, & si contingerit contrà hoc nostrum statutum ab aliquo servari, dummodo litteræ non sint de eorum Consanguineis, vel Affinibus, controveniens pœna carceris formalis per quin-

---

a *In actis Eccl. Mediol. par. 5. tit. de instit. Semin. Ex Methodo visit. Ecclesiæ Beneu. Eminentissimi Vrsini par. 3. §. p.* b *Citato Methodo Beneu.* c *S. Carolus Methodo cit.*

quindecim dies per Rectorem punietur.

9 Non impetrata à nobis, vel saltem à Rectore Seminarij facultate, (a) nemo tàm Alumnus, quàm convictor extra septa illius pernoctare audeat; & si alicui licentia impertita fuerit per aliquod tempus accedere ad propriam domum, si is præscripto tempore non revertatur ad Seminarium, non amplius admittatur nobis inconsultis.

10 Arma cuiuscunque generis à quocunque detineri prohibemus. (b) similiter inhibemus, ne etiam recreationis causa, quocunque ludo cum aleis, & taxillis ludant, etiam tempore baccanalium; ludi enim vitia non virtutes pariunt, sub pœna unius mensis carceris formalis irremisibiliter luenda.

11 Alij, præter alumnos, & convictores, de nostra licentia ad Seminarium non recipiantur ad scholas tàm grammaticæ, quàm cantus, etiam si ibi non permaneant, alioquin tàm Rector, quam Magistri scientiarum eo ipso pœnam privationis Officij incurrant; neque magistri Seminarij extra illud alijs scientias edocere possint, sub eisdem pœnis.

12 Quando Alumnus recipitur quasi novitiatum facturus per aliquot dies ab alijs Alumnis seiunctus detineatur, & interim Rector illum de constitutionibus, & legibus Seminarij instruat ad formam methodi, quò supra, examinetque eius indolem, à qua recognoscat utrum adsit spes eundem benè profuturum.

13 Mens Sac. Conc. Tridentini (c) cum sit, ut Alumni à teneris annis ad pietatem, & religionem informentur, antequàm vitiorum habitus totos homines possideat; & hoc non sinè magno Omnipotentis Dei auxilio haberi potest, iuxtà illud: *Initium Sapientiæ est timor* N *Domi-*

a *In Method. S. Caroli par. 3. c. 7. §. eo tantum* b *Cit. instruc. Benev.* c *Sess. 23. c. 18. de reform.*

Domini: proptereà in nostro Seminario mandamus, ut Alumni singulis diebus de mane coniunctim, statim ac de somno vitiorum esurrexerint, prostrati antè Imaginē Domini, vel Deiparæ per quartam horæ partem, orent, gratias Deo agentes prò receptis beneficijs, & ut eos in futurum præservet ab omnibus malis.

14 Similiter de serò antè dormitationem coniunctim in eodem loco, & antè eandem Imaginem conveniant, ubi prostrati post peractum examen conscientiæ,& veniā à Deo impetratam de offensis ipsi in illo die factis,Litaniā Lauretanā recitent cum aliis orationibus à Rectore præscriptis,& in fine psalmū De profundis,cū oratione Fidelium prò Animabus in Sancto Purgatorio existentibus.

15 In singulis diebus festivis de præcepto, hora ad arbitrium Rectoris deputanda, recitent officium B. Mariæ Virginis, & post horam vespertinam, tertiam partem Rosarii cum mysteriis, & orationibus ad diei præscriptum.

16 Antè,vel post scholam sacrum audire (*a*)non prætermittant omni, qua decet corporis compositione, attentione, & cultu,quod tanto sacrificio convenit.

17 Confessionem Sacramentalem ne prætermittant singulis quindecim diebus,& in unaquaque prima Dominica mensis, in festivitatibus B. Virginis, & alijs festis solemnioribus sacram Communionem sumant.

18 Omnem reverentiam,& obedientiam Rectori ab omnibus in Seminario existentibus(*b*) præstari volumus, alias inobediens prò modo culpæ punietur, etiam ejectione.

Ne animi Candor, & morum Innocentia violetur: Communicatio, & colloquia cum exteris ne permittantur in Seminario, & ad invicem, ne colloqutiones maledicas, iniuriosas, & obscęnas habeant, & super omnia

se

a *Trid. loc. cit.* b *S. Carolus loc. cit.*

se abstineant à blasphemia; nam in Animam malevolem non intrabit sapientia. Quod si per aliquem secus factum fuerit, facultatem Rectori concedimus, delinquentem, etiam pœna carceris suo arbitrio punire.

19 Singulis diebus festivis de præcepto (*a*)omninò volumus, ut induti superpelliceo, nostræ Ecclesiæ Cathedrali inserviant in eo officio per Sacristam maiorem eis assignando.

20 Proprium officium Rectoris sit Alumnorum mores dirigere in timore Domini; (*b*) Discipulos incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acritèr punire, & si opus fuerit eos expellendo: Omniaque impedimenta auferens, quæcunque ad conservandum, & augendum tàm pium, & sanctum opus pertinere videbuntur, diligenter curet.

21 Magister grammaticæ eas ad vivum virtutes exprimere debet, quas in Ecclesiasticis Sacri Canones requirunt, ut ijs, qui eius sunt discipuli, in eo tamquam in speculo, expressam videant eorum vitæ imaginem. Vltrà hoc præditus omninò esse debet liberalibus artibus, ut eas pueros edocere possit.

22 In unaquaque hebdomada per examen ab alumnis repetat, quæcunque didicerunt, maximèque in regulis; lectio enim repetita magis iuvat.

23 Quos noverit in lingua latina provectos, semper mutuò latinè, extrà recreationis tempus, colloqui faciat.

24 Si diuturno experimento cognoverit aliquem non esse profecturum in scientiis, vel ab illis abhorreat, ad nos referat, ut quòd expedire videbitur exequi possimus.

25 Itèm è converso, si aliquem acumine ingenii cognoverit ad altiora studia sectanda aptum, ad nos referat, ut eidem modum, & opem præbere possimus, quo modò gravioribus studiis insistere valeat.

a *Trid. loc. cit.* b *Trid. loc. cit.*

26 In sancta visitatione in Seminario per nos facta, invenimus nimiam necessitatem, quam alumni habent complurimorum librorum ad eorum studium pertinentium, quos paupertatis ratione propriis sumptibus emere non possunt: propterea mandamus eidem Rectori, ut infrà tres mens prò usuSeminarii, & Seminarii sumptibus sequentes libros emere teneatur: Bibliam sacram cum expositione: Breviarium Romanum: Gavantum super Rubrica Breviarii, & Missalis: Concilium Tridentinum: Catechismum Romanum. Scrutinium Sacerdotale. Opera Virgilii cum Commentu. Opera Ciceronis cum Commentu. Calepinum Calderinum, & Vocabularium Ecclesiasticum.

27 Deo Patri, & Magistro multum esse debitores sciant Alumni, ideòque eis iubemus, ut omnē honorem, & reverentiam, ut decet magistro exhibeant, & sui præsentia semper stent capite detecto.

28 Ad præscriptum Sac. Concilii Trid. loco cit. pro bono regimine Seminarii adsint quatuor deputati; quorum duo de nostro Reverendissimo Capitulo sint, & duo de Rever. Clero nostræ Civitatis; Electio quorum, iuxta eiusdem Tridentini statutum cùm pro uno capitulari spectet ad nos, & pro altero ad nostrum Reverēdissimum Capitulum: & prò Clero, prò uno ad nos, & pro altero ad Rev. Clerum; Ideòque mandamus, ut in unaquaque Diœcesana Synodo hæc electio fiat.

29 Officium quorum deputatorum tàm per nos, quā per alios, ad quos spectat, sit assiduè invigilare, ne bona Seminarii, & redditus eant in collapsum, & circa reliqua omnia, quæ prò bono gubernio ipsius, & Alumnorum recta educatione sunt necessaria.

30 Singulis annis Procurator Reverendi Seminarii, prò ut de more nobis præsentibus Deputatis rationem reddat de receptis, & expensis in eodem Seminario: ad quod commodè exequendum librum habeat, in quo sin-

gulis

gulis annis adnotet annuos redditus, & summas exactas, iuxtà taxam totius Diœcesis.

31 Describendo expensas factas,& in rebus magni momenti prò verificatione procurabit fides, & attestationes necessarias,alias per nos expensæ prædictæ non admittentur.

32 Ne fiat impensa maior in providenda annona, & cæteris necessariis, omnia emat tempore opportuno;aliàs quod superflum impensum fuerit per nos non admittetur in redditione computorum.

33 Ne Alumni aliquam excusationem habeant in observantia constitutionum,præcipimus Rectori sub pœnis arbitrio nostro, ut singulis mensibus in Refectorio eas publicè legere faciat, & si aliquid in eis sit, quod declaratione indigeat,vulgari idiomate id ipse explicet: cui subiungimus, ne det locum alicui, etiam consanguineo, vel Affini suo, vel Alumnorum recumbere de nocte in Seminario sub pœnis nostro arbitrio.

34 Si contingerit aliquem infirmari, non prætermittat illius curam, omni qua decet charitate: ingravescente verò morbo, statim ad nos revelationem faciat, ut quod expediens erit prò illius salute decernere possimus.

35 Si contingerit Rectorem abesse à Seminario,declaramus eius vices gerere debere magistrum grammaticæ, quia sic convenit.

36 Singulis annis fiat inventarium bonorum mobiliũ Seminarii per Cancellarium nostræ Curiæ, præsentibus deputatis eiusdem, quæ bona consignentur Rectori, qui de iis rationem reddere teneatur.

37 Et quia, ut antecedenter mandavimus, methodus regulæ,seù constitutiones nostri Seminarii,illæ debent servari, quæ ab Eminentissimo Vincentio Cardinali Vrsino Archiepiscopo Beneventano,& nostro Metropolita mandata sunt servari in Seminario Beneventano; Ideò-

que

que præcipimus Rectori eiusdem, ut infrà quindecim dies emat librum illum sub pœnis arbitrio nostro.

38 Tandem verbis Divi Caroli in citata Instructione parte 3. cap. primo §. Adolescentes; hortamur Seminariistas, ut sedulò advertant cuius gratia S. Concilii Trid: decreto fuit facta Institutio Seminarii, idque animo revolventes, intendant, ut illud, divina ope suffragante, ad Animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem, & Pastorum solatium, assequantur.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

1 Atrocissimum existimo esse delictum, in quo Princeps ipse executor Iustitiæ esse vult: è Paradiso voluptatis emisit nostros Progenitores, attamē manu Angeli: Cananeos, & Amorreos ab eorū suburbijs immundis animalibus iustitiam exequentibus; per manus Angelorum exercitum Pharaonis, & Assyriorum percussit. Imo, & Herodes ipse angelica manu fuit flagellatus. Et nullibi in Sacra Scriptura constat, Dominum nostrum perversos per seipsum punire, nisi quando eos videt suis templis debitum non præstare obsequium. Quando de puniendo prophanatores Sacri Templi agitur, video Christum Dominum, licet patientem, propriis flagellare manibus, sicuti legitur in S. Evangelio: (a) *Fecit quasi flagellum de funiculis, & ejecit omnes ementes, & vendentes de Templo.* Magna igitur injuria Deo irrogatur, cum Templum Orationis in speluncam latronum convertitur, & ubi peccata sunt deploranda, nova alia committuntur. Non credimus tamen dilectum Gregem nobis commissum esse Hierosolymæ complicem in tali delicto, ast, ut Deo Optimo Maximo, qui elegit Ecclesias in domum suam, honor, & cultus proùt ei convenit, tribuatur, &

omnis

---

a *Ioan. 2.*

omnis irreverentia ab Ecclesiis divino cultui destinatis arceatur.

2 Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii (a) authoritate, in Ecclesiis quascumque seditiones, tumultus, prophanas actiones, Judiciorum strepitus, & clamores prohibemus, non solùm tempore divinorum Officiorum, & dùm Missæ celebrantur, sed quocunque alio tempore, ut locus ille verè domus Dei, & Orationis sit, &, ut hæc in vera observantia sint, injungimus Rectoribus, Sacristis, Custodibus, seù aliis quibuscunque Ecclesiarum Præfectis, ut in omni patientia arguant Audentes prędicta committere in Ecclesiis; quod si eorum monita contempserint, eorum nomina ad nos deferant, ut juxtà S. Pii Quinti constitutionem contra eos gravioribus pœnis procedamus.

3 Aurelianensis Concilii Constitutioni (a) inhærentes sancimus, ne quispiam novam edificet Ecclesiam absque nostro assensu, & beneplacito, & antequam per nos, vel alium à Nobis designandum Crux affiggatur, & atrium designetur, sub pœnis juxtà Sacros Canones, & non alitèr licentiam impartiri intendimus, quàm priùs ipsi Ecclesiæ dote assignata pro iis, quæ spectant ad ornamentum, & custodiam ipsius. Idipsum intelligimus servari cum per nos licentia impertitur in altaribus erigendis, cum experientia constet ob dotis defectum complures Ecclesias, & Altaria omni necessario ornatu destituta deformari sub pœna interdicti ipso facto incurrenda, tàm quo ad Ecclesias, quàm quo ad Altaria contrà tenorem hujus nostræ sanctionis in futurum construenda.

4 Ne locus habitationis gloriæ Dei reddatur locus habitationis hominum, strictè inhibemus, ne Eccle-

siç,

---

a *Cap. in orat. dist. 42. cap. decet de immunit. Eccles. in 6. Trid. sess. 22. de observandis, & vitandis.*

b *Cap. Nemo Ecclesiam de consec. dist. 1.*

siæ, vel Cappellæ, in toto, vel pro majori parte dirutæ, si reparari nequeant ex defectu proventuum, vel elemosinarum, in profanos usus destinentur, sed tamen lapidibus sepiantur, & in medio Crux erigatur in signũ loci sacri, ut Trid. *(a)* precipit, & si fortè in eisdem Ecclesiis, seù Cappellis, aliquod onus Missarum sit annexũ, ad nos per quos spectat referatur, ut onera in alias Ecclesias transferri possint, juxtà Tridentini dispositâ loc.cit.

5 Antiquitus inter Christianos domus erant Ecclesiæ; nunc verò Ecclesiæ domus sunt, dùm eas præcipuè vaghi, & peregrini in hospitium assumunt, in illis edendo, bibendo, & dormiendo. Nos igitur idemnitati domus Dei providere volentes, strictè præcipimus Rectoribus Ecclesiarum,*(b)* ut Fidelibus ingressum ad Ecclesias concedant ad preces Deo persolvendas; quod si quis aliter agere præsumpserit, imitentur Christum, qui fecit quasi flagellum de funiculis, & omnes ejecit de Templo. Et authoritate Apostolica hanc sanctionem Synodalem servari mandamus per Rectores Ecclesiarum Regularium sub pœna interdicti localis per nos declaranda.

6 Imitantes Christum Dominum,*(c)* qui dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum prò ea, ut mundaret sibi sponsam non habentem maculam, neque rugam; nè in Ecclesia Dei materiali ab Ecclesia Dei formali scandala committi possint, horis præcipuè nocturnis, omnibus, & singulis Ecclesiarum Sacristis, aut Præfectis Regularibus ad præscriptum prædictarum litterarum Sac Congregationis præcipimus, ut post signum Salutationis Angelicæ; seù ad horam vigesimam quartam omninò claudant, & claudere faciant respectivè Ecclesias, ut nemini pateat ampliùs aditus, vel ingressus ad eas, sub pœnis arbitrio nostro, idemque sub eisdem pœnis servari vo-lumus

a *Sess.cit.c.7.de refor.* b *Ex litt. S.C.Episc.de mandato Innoc.XI.22.Januar.*1677. c *Ephes.5.*

lumus in horis matutinis; ità ut antequam clarè aurora lucescat, Ecclesias aperiri non permittant. Quamobrem quæcumque exercitia spiritualia, quæ in Ecclesiis, aut Oratoriis fiunt non incipiant, nisi lucescente aurora, & terminentur ad horam vigesimam quartam: dummodò non sint exercitia Congregationis, pro quibus etiam de nocte nostram licentiam impartimur, dummodo sexus muliebris præsens non sit.

7 Ex causis mentem nostram moventibus inhibemus Fidelibus utriusque sexus, ne ex suppedaneis altarium scabellum efficiant genua super ipsis flectendo, aut sedendo, sub pœna expulsionis ab ingressu Ecclesiæ; quàm pœnam incurrent etiam ii, qui super Altarium mensas innituntur, pileum, vel aliquid aliud apponentes, de cujus decreti observantia, eorum, ad quos spectat conscientiam oneramus.

8 Authoritate Innocentii XI. S. Memoriæ *(a)* inhibemus ne in atriis, scalis, claustris, & quibuscumque aliis locis immunibus, præcipuè cum in Ecclesiis Festorum solemnia celebrantur, quæcumque res commestibiles, sivè merces nundinarum more vendantur, sub pœna Rectoribus, sivè Administratoribus Ecclesiarum interdicti ferenda.

9 Arma quibus Christifideles uti debent cum in Ecclesiis conveniunt sunt preces, & Orationes Deo; ideòque illis in eis arma, putà sclopos balistas, pugiones, archibusios, & similia armorum genera ne gerant, sub pœna expulsionis. Similitèr, ne antè Januas in atriis, gradibus, & Cœmeteriis nullo tempore quocunque. ludo ludant, sub pœna expulsionis.

10 Cum nemini juxtà S. Pii Quinti sanctionem, *(b)* & sa-

O

a *S.C. Episc.* 21 *Julii* 1679. b *S. C. Episc. in Jeracen.* 26. *Julii* 1613. *Melfiten.* 2. *Octobris* 1626. *Neapol.* 13. *Aprilis* 1646. *ut ex Syn. Card. Cantelmi hoc tit.*

& sacros Canones permissum sit suprà Ecclesias, sive Oratoria divino cultui dicata, habere Cameras, vel loca pro habitatione, dormitione, vel deambulatione, ideòque omnibus, & singulis Ecclesiarum Rectoribus, aut Administratoribus inhibemus, ne in suis Ecclesiis hanc licentiam, quò supra, concedere audeant, sub pœna excommunicationis ferenda, ultrà ipsarum Ecclesiarum interdictum.

11 Quicunque data opera ausi fuerint homicidia, vel membrorum mutilationem patrare, vel quempiam gravitèr percutere in publicis Ecclesiis, tàm Secularium, quàm Regularium, in earum scalis, atriis, claustris, dormitoriis, vel Cœmeteriis excommunicationem latæ sententiæ incurrant; quàm excommunicationem incurrere volumus ei, qui in Ecclesiis clamores, tumultus, aut rixas excitaverint eo tempore, quo Venerabile Sacramentum publicè in Altari est expositum. Absolutionem cujus excommunicationis, quo ad primam partem hujus decreti nobis reservamus.

12 Nève Ecclesiæ, vel Altaria nostræ Diœcesis habentes dotes, seù quasi dotes pro earum reparatione, & manutentione temporum patiantur injuriam, & deperdantur Ministrorum incuria, mandamus omnibus, & quibuscumque Rectoribus, Administratoribus, Procuratoribus, & aliis, ad quos spectat, ut singulis trienniis inventarium per eos describendum, vel subscribendum faciant de omnibus, & quibuscunque bonis stabilibus cum eorum finibus, & confinibus, de annuis redditibus, & censibus, cum annotatione stabilium, in quibus sunt collocati: & Notarii, qui publicas scripturas peregit, de omnibus sese moventibus, & mobilibus quibuscumque; quod inventarium ad nostram Curiam deferant, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

13 Ne in Ecclesiis, quæ sunt tanquam sponsæ ornatæ Viris suis nil desit politiæ: Rectoribus, Administratoribus,

Sacriſtis, & aliis quibuſcunque, ad quos ſpectat, iniungimus, ut antè oculos habeant munditiam earum, quam ſingulis hebdomadis in Eccleſiis, & Altaribus fieri volumus; Ex quo memores eſſe volumus, plurimum meriti apud illum eſſe conſecuturos, qui dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, ut mundaret ſibi ſponſam, non habentem maculam, neque rugam.

14 Deteſtantes incuriam in noſtra Diœceſi inveteratam ſacram conſervandi ſuppellectilem, proindè ſtrictè iniungimus Sacriſtis, ut in illa manutenenda, omnem adhibeant curam, & diligentiam, iuxtà methodum in appendice harum Synodalium Conſtitutionum apponendam, ex Synodalibus Conſtitutionibus Sypontinæ Eccleſiæ, nunquam ſatis laudando Eminentiſſimo Cardinali Vrſino, editis deſumptam, ſub pœna carceris formalis arbitrio noſtro.

15 Ne per importunas Pauperum expoſtulationes in Eccleſiis quæcūque functiones, (a) & Fidelium preces perturbentur, Parochi, Sacriſtæ, & quicunque alii Eccleſiarum moderatores tàm Eccleſiaſtici, quam ſeculares curent obſervari Conſtitutionem S. Pii V. ab Innocentio XI. commendatam, & approbatam edicto Sanctiſs. Domini noſtri Innocentii Papæ XII., ac proindè non permittant Pauperes circuire Eccleſias, ſed ad earum valvas.

16 Inhærentes complurimis mandatis per edictum à nobis emanatis, iniungimus Præfectis Chori, (b) nè dùm Divina peraguntur locum in eo laicis dent cuiuſcunque qualitatis, & conditionis ipſi ſint. Similiter Sacri-

 ſtis

a *S. Pius V. in Conſtit. Innoc. XI. in edicto pro Vrbe* 23. *Septembris* 1679. *Innoc. XII. die* 20. *Aprilis* 1691. b *S. C. Ep.* 12. *Ianuarii* 1604. *ut ex Syn. Caputaquenſi* 1649.

ſtis, ne quemlibet permittant in ſacriſtia permanere, ſub pœnis arbitrio noſtro.

17 Eccleſiæ ſolum ne excavetur pro tumulandis cadaveribus, ſed in ſepulturis ſepeliātur, (a) idque Rectores ſervari faciant ſub pœna librarum quindecim ceræ albæ laboratæ.

18 In unoquoque Oppido noſtræ Diœceſis, (b) hortamur eos, ad quos ſpectat, fieri Cœmeterium muris vallatum, & clauſum cum cruce erecta in medio ipſius: Et hoc, ut oſſà defunctorum, quæ exhumantur in decenti loco deponi poſſint.

19 Quantum fieri poteſt in unaquaq; (c) Eccleſia adſint ſepulturæ diſtinctæ pro Viris, mulieribus, & pro Pueris, juxtà Rit. Rom. præſcriptum. Pro Sacerdotibus verò mandamus fieri in unaquaque Eccleſia diſtinctas ſepulturas, uti ex Rituali Rom., quæ ſepulturæ nullo modo emineant ſolo Eccleſiæ, ſed Defunctorum corpora in tumulis profundis infrà terram collocentur. Monumenta marmorea muris, ſeù columnis Eccleſiæ inhærentia cum cadaveribus, quicunque Eccleſiarum Rectores non permittant, ſub pœnis arbitrio noſtro.

20 Convenit iuxta laudabilem antiquorum Chriſtianorum morem, ut in Eccleſia omninò Viri à mulieribus ſegregentur; propterеà ubi commodè fieri poteſt, hortamur ſervari Concilium Seſarauguanum ſub Damaſo Papa celebratum.

21 Ne quid repugnans decori, & Sanctitati Eccleſiarum fiat, nemo ſchedulas, aut ſcripta profana, quæ à domo Dei aliena eſſè debent, ullis foribus, valuis, aut parietibus Eccleſiarum aut in quovis ſacro loco affiggere

a *S. Pij V. conſtit. cum primum Apoſtolatus.*
b *Conc. Prov. Benev. 1693. tit. de ſepulturis.*
c *Acta Eccleſ. Mediol. par. 4. tit. de ſepulturis.*

re præsumat, sub pœna excommunicationis per nos ferenda.

22 Sub pœnis in Concilio Lateranensi contentis in Ecclesiis quibuscunque tàm secularium,(a) quã regularium Campanæ non pulsentur in Sabbato maioris hebdomadę, antequam pulsentur in Ecclesia Cathedrali, & in Oppidis, in Ecclesia matrice.

23 Cum Campanæ Ecclesiarum earum sonitù expellant omnes insidias Inimici, frangores, grandinum, procellas, turbinum, impetus, tempestatum, & fulgurum, & prosternant tonitrua, propterea iniungimus omnibus ad quos spectat, cum aliquis ex enumeratis casibus acciderit, eas pulsent.

DE SANCTI MONIALIBVS.

1 PAstoralis nostra sollicitudo ad promovendum Gregis nostri Spirituale bonum semper intenta postulat, ut non modò Ecclesiasticorum virorum Curæ insistamus, sed Sacratarum Deo Virginum; quæ hortus conclusus, & plantatio rosæ in Ierico, nuptiale Thalamum Christo Sponso, qui pascitur inter lilia exornant. Hæc enim sunt Tabernaculum, quod Altissimus sanctificavit sibi; quæ contemptis oblectamentis, divinis se obsequijs mancipantes in perpetuum Christo se Sponsas voverunt, & sub suavissimo religionis Iugo, in castitatis holocausto se obtulerunt. Cum Maria optimam partem sibi elegerunt, nam fracto seculi alabastro, suavem myrram regularis observantiæ antè Redemptoris pedes effundunt, & charitatis igne accensæ assiduis precibus, & obsecrationibus, quasi incensum antè Altare Domini adolent, quo divina erga nos indignatio placatur. Et quia quanto pretiosior margarita, tanto vigilantior debet

---

a *Sub Leone XI. sess. XI.*

bet esse custodia; Propterea has sequentes Constitutiones edicimus.

2 Vt ait Sanctus Franciscus Salexius, cuius documento methodus exercitiorum Spiritualium in Ecclesia Dei exorta est; nullum maius medicamentum est, quo homo alacrior reddatur in via perfectionis, quam exercitia Spiritualia peragere; Nos igitur inhærentes literis Circularibus S. Congregationis Episcoporum Regularium de mandato Innocentij Vndecimi Sanctæ memoriæ editis, (a) in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus novitijs, ut ante professionem exercitia spiritualia per dies decem continuos piè ineant; alias sciant per nos non esse admittendas ad professionem. De quibus exercitijs peractis, attestationem Abbatissæ Monasterij ad nos transmitti faciant.

3 Quam nostram Constitutionem etiam in virtute sanctæ obedientiæ singulis annis (b) servari mandamus ab omnibus Sanctimonialibus professis, quibus per singulas earum peractis, documentum in scriptis Abbatissæ Monasterij ad nos deferri faciant.

4 Memores esse volumus omnes, quòd sicut in carnali Coniugio consensus debet esse omninò voluntarius, ità in hoc spirituali, in quo arctiori indissolubilitatis nexu astringitur. Propterea sciant impositam esse pœnam excommunicationis eo ipso incurrenda à Sac. Concilio Trid. (c) contra cogentes aliquam Virginem, vel quamcumque aliam mulierem invitam, præter casus in Iure expressos, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, aut ad professionem emittendam, & contra dantes consilium, auxilium, & favorem, &c. Et similiter è contra impedientes

a *9. Octobris 1692.* b *Epist. Pastor. S. C. Epis. & Regul. de mandat. Clem. XI. 16. Martij 1703. num. 7.*
c *Sess. 25. c. 18. de refor.*

tes ex adverſo aliquam ingredi volentem, vel habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere: quam Cenſuram ſciant incurrere effectu ſequuto,& ampliant ad cogentes ingredi aliquam in Monaſterium etiam cauſa educationis.

5 Excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda nobis reſervata innodatos eſſe volumus eos, abſque noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia ad Sanctimonialium Monaſterium accedere præſumpſerint ad colloquendum cum aliqua, vel aliquibus earum, etiam ſi ſit novitia, Converſa, vel educanda, ſivè alterius rei cauſa ibidem commoretur, declarantes, quòd qui facultatem obtinuerint colloquendi cum aliqua prædictarum non poſſint data opera cum alijs colloqui. Qui vero cum ipſis Monialibus auſi fuerint de rebus obſcænis colloqui, aut actus impudicos agere, vel abſentes per litteras obſcęna ad ipſas ſcripſerint, (a) ſciant innodatos eſſe excommunicatione abſolutione nobis reſervata.

6 Omnibus notum ſit per nos, ſeù noſtrum Vicarium Generalem licentiam colloquendi cum Monialibus non concedi tempore Adventus, Quadrageſimæ, & in diebus, in quibus ſacram Communionem Moniales ſumpſerint, vel quando unaquæque earum exercitia ſpiritualia peregerit.

7 Licet coniunctis in primo gradu, videlicet Parentibus, (b) Fratribus, & Sororibus abſque noſtra licentia eaſdem ſibi coniunctas Moniales alloqui ex conceſſione Sacræ Congregationis non tamen tempore Quadrageſimæ, Adventus, & in diebus Communionis, & Exercitiorum ſpiritualium.

8 In recipiendis Puellis Educationis cauſa, ſciendum eſt prohibitum eſſe retinere Puellas educationis cauſa in Mona-

a *De Sacr. Pœnit. tit. caſus reſerv. cum cenſura.*
b *S.C. Epiſcopo Sebenicen. 16. Septembris. 1596. Synod. Diœc. 1669. hoc tit.*

Monasterio, *(a)* ubi non sunt loca particularia destinata prò Dormitorio ipsarum à Dormitorio Monialium separata. Similiter recipi non possunt in ijsdem Monasteriis ubi sunt loca separata absque Sacræ Congregationis licentia, quæ illam concedere solet cum condictionibus; *quas servari volumus.*

9 Habita licentia à Sac. Congreg. prò recipienda Puella educanda, mandamus requiri etiam licentiam, sivè assensum nostræ Episcopalis Curiæ.

10 Inhærentes alijs mandatis nostris per edictum; denuò iubemus Abbatissæ, & omnibus alijs Monialibus professis novitijs Educandis, & Conversis Monasterij Sancti Salvatoris Civitatis nostræ nè audeant, sivè per Ianuas, sivè per rotam introducere intus Monasterium, & prò media octava parte horæ infantes, *(b)* sivè masculos, sivè fœminas, etiam si sint minoris ætatis septemnij, sub quovis prætextu, & colore, sub pœna violationis Clausuræ, & excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ: etiam si ipsi Infantes non extrahantur à rota, sed in ipsa remaneant ex parte Clausurę.

11 Memoriæ reducimus Regularibus omnibus ipsos alloqui non posse Moniales, absque Sacræ Congregationis expressa licentia sub pœnis eiusdem S. Congregationis in decretis contentis per Summos Pontifices Sixtum Quintum, & Vrbanum Octavum approbatis.

12 Quartò completo anno Abbatissæ, sciat, nequàquam terminum posse prorogari ad hoc officium exercendum, uti Sacra Cong. Episcoporum rescripsit Episcopo Adrien. 20. Februarij 1615.

13 Nemo est, qui secundum omnia Iura post completum officium rationem reddere non teneatur de villica-

a *S.C. in una S. Severinæ* 16. *Ianu.* 1615. *relat. in Syn. Caputaq.* 1649. *hoc tit.* b *S.C. Epis. in Neap.* 22. *Martii* 1580. *relat. in Syn. Neap.* 1694.

lificatione sua: Nos igitur cum magna nostra admiratione invenimus in Monasterio S. Monialium Nostræ Civitatis per Abbatissas pro tempore rationem non reddi in nostra Curia de administratione redditum, per ipsas facta; At quia hoc etiam expressè repugnat Constitutionibus religionis Divi Benedicti, sub cujus vexillo militant: hac igitur nostra Constitutione præcipimus in futurum omnibus Abbatissis, ut in earum administratione mensatim faciant notam expensarum Monasterii, singulis mensibus legendam in Refectorio coram omnibus Monialibus, firmandam à quatuor Decanis dicti Monasterii sub pœna suspensionis ab officio ad nostrum arbitrium. Quas notas, ut supra descriptas, finito anno Abbatissatus originales præsentare teneantur ad nostrã Curiam, à quà petere teneantur liberationem Computorum, qua non obtenta, declaramus ipsas esse suspensas ab obtinendo quocunque officio Monasterij: Et si non obstante hoc nostro decreto in aliquod officium fuerit electa, declaramus electionem esse nullam, nullumque robur habere.

14 Cum Moniales propter Deum à mundo se abscondeerint, iuxta Realis Prophetæ Testimonium: *Absconde eas in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum*, (a) ad hoc, ut solum cogitent, quæ Domini sunt, & quomodo placeant Deo; & cogitare tenentur quomodo placeant Christo Sponso, Ideoque, quæ sunt de mundo agere non possunt: propterea mandamus, ut singulis annis per nostram Curiam illis asignetur Procurator Ecclesiasticus provectæ ætatis, Sanctorumque morum, qui teneatur omnia peragere, quæ sunt necessaria, tum prò exactione annuorum redditum, tum prò omnibus alijs ad præfatum Monasterium spectantibus.

15 Singulis annis eligantur per nostram Curiam qua-

a *Psal.* 30.

tuor Protectores Ven. Monasterii S. Monialium nostræ Civitatis,quorum duo sint de Capitulo,& Clero, duo verò laici, quibus injungimus,ut ante oculos habeant zelum domus Dei, & Sacrarium Spiritus Sancti, ne bona Monasterii eant in collapsum.

16 Confessàrios per nos deputandos pro audiendis confessionibus Monialium per triennium tantum sciant, & non ultrà posse confessiones illarum audire; neque ultrà prorogari potest hoc officium absque Sacræ Congregat. (*a*) licentia. Extraordinarius verò per nos deputabitur bis, vel ter in anno juxtà Sac. Conc. Trid. mandata, & quando ille extraordinarius fungetur officio suo, non accedat Ordinarius ad audiendas confessiones Monialium sub pœnis arbitrio nostro.

17 Cum Confessàrius urgente necessitate ingrediatur Claustra Monasterii ministrandi causa Pœnitentiæ Sacramenti alicui Moniali infirmæ, associetur à duabus Monialibus ex senioribus Monasterii usque ad Cellam infirmæ, cujus confessione audita januis apertis, (*b*) & coram duabus Monialibus illum videntibus, sed non audientibus, ne vagetur per alias partes Monasterii, sed per eandem viam eisdem Monialibus associatus regrediatur sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrenda.

18 De jure Sacramentum Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis ministratur Monialibus infirmis venerabilis Monasterii S. Salvatoris nostræ Civitatis per Parochum Reverendiss. Capituli, quod approbamus, & ita in futurum servari mandamus. Injungimus tamen Parocho, ut delaturus sanctissimum Viaticum, vel Oleum Infirmorũ pro Sacramento Extremæ Vnctionis ministrando; cum est ad januas dicti Monasterii ingrediatur solus, associatus

à Mo-

---

a *S.C. die 5. Feb.1193.rel. in Syn.Caput. 1649. hoc tit.*
b *Ex lit.circul.S.C.Epis.& Reg.de mandat.Innoc.XI.* 21.*Martij* 1682.

à Monialibus processionalitèr, quando defert Communionem, cum verò ministraturus est extremam Vnctionem à duabus Monialibus antiquioribus comitetur in introitu, & exitu usque ad portas dictæ Clausuræ sub pœna nostro arbitrio.

19 Generis humani perpetuus Hostis licèt quotidiè insidias struat, ùt animas perdat, attamen tempore consumationis effundit iram: Nos igitur nè sponsæ Christi in ultimo agone à lupis Infernalibus devorentur, mandamus Confessario Sanctimonialium, ùt conscius de periculo vitæ alicuius earum, sivè sit de die, sivè sit de nocte, non prætermittat animam periclitantis Deo cōmendare, illi assistendo precibus, & obsecrationibus usquequò ex hac vita migraverit; Advertat tamen nèsolus in Cella moribundæ stet, sed à duabus antiquioribus de monasterio asistatur, sub pœna ipsi Confessario suspensionis ab officio ipso facto incurrenda, & Abbatissæ non asignanti duas moniales asistentes, suspensionis ab officio per tres menses.

20 Confessarij quicunque à nobis approbati ad Sacramentales Confesiones audiendas, sciant Monialium Confesiones audire non posse, cum specialis delegatio requiratur, (a) ùt Sacra Congreg. in Constitutione Gregorij Decimi quinti super dubio 6.7.& 8. & Confesiones essent nullæ, ùt eadem dub.8.

21 Confessarius per nos electus ad audiendas Confesiones Monialium, sciat illi non licere Confesiones audire in Cratibus Colloqutorij, in Rota, in loco Communionis, aùt alio quovis loco, præterquàm in Confesionali in exteriori parte Ecclesiæ (b) constituto sub pœna suspensionis ab Officio, ultra alias arbitrio nostro.

P 2 22 Ex.

a *Ex cit. Syn. Caput. hoc tit.* b *Camerin.29. Novembris 1605. Nicol. verb. Confesi.n.37.*

22 Ex Sacri Conc. Trid. (*a*) decreto ſub obteſtatione divini judicii,& interminatione maledictionis ęternæ nobis præcipitur, ut Clauſura ſanctimonialium inviolata conſervetur, Nos igitur ſub anathematis pœna (*b*) Sanctæ Sedis reſervata mandamus ne quis quacunque dignitate fulgeat Monaſterii Sanctimonialium ſepta ingredi audeat, excepto neceſsitatis caſu per nos examinando, & cum noſtra licentia in ſcriptis. Imò neque nobis permiſſum eſt ingredi Clauſuram ſanctimonialium, niſi in caſu Sanctæ Viſitationis, ut declaravit Sacrum Concilium (*c*) in una Aracuſana.

23 Nemini autem Sanctimonialium, ut ejuſdem Cõcilii loco citat. verbis utamur, liceat poſt profeſsionem exire à Monaſterio etiam ad breve tempus quocunque prætextu, niſi ex aliqua cauſa legitima per nos approbanda, indultis, quibuſcunque, & privilegiis non obſtantibus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda Sanctæ Sedi reſervata.

24 Si verò, qui neceſsitate urgente ingredi poſſunt ſepta Monaſterii ſanctimonialium, ſunt Medici, Chirurgi, Cęmentarii, & id genus, qui tamen à nobis licentiam in ſcriptis obtinere teneantur, ut eadem Sac. Congregat. Concilii declaravit, (*d*) ne in excommunicationem ſupra relatam incidant.

25 Iſti verò ſupra relati dùm intra clauſuram ſanctimonialium ingrediuntur, aſſociari tenentur à duabus ſenioribus de Monaſterio,& ab eiſdem in regreſſu uſque ad portas clauſuræ ſub pœna Abbatiſſæ Monaſterii ſuſpenſionis ab officio ad noſtrum beneplacitum.

26 Sciant

a *Seſſ.25.c.5. de Regul. & Monial.* b *Conſtit. Gregor. XIII. incipit Dubiis* 1575.24.*Iunii:Et Pauli Quinti incipit Monialium* 20.*Iunii.* 1612. c. 16. *Octobris* 1600. *ex cit. Syn. Caputaq. hoc tit.* d *Anno* 1593. *ut ex cit. Syn. Caputaq. hoc tit.*

26 Sciant tamen omnes ii, (a) qui necessitate urgente ingrediuntur septa Monasterii sanctimonialium se non posse vagari, etiam titulo curiositatis per alia loca clausuræ, præterquam illis est permissum sub pœnis relatis contra Confessarium.

27 Nullus Sacerdos, exceptis ijs, qui habent Cappellaniam fixam, audeant celebrare, vel divinis ministrare in Ecclesia Sanctimonialium, absque nostra, vel nostri Vicarij Generalis licentia sub pœna Cappellano illum admittenti arbitrio nostro, & Sacerdotibus carceris formalis per mensem.

28 Nemo admittatur ad inserviendum in Ecclesia Monialium, nisi sit Clericus saltem prima tonsura initiatus, & non excedat ætatem annorum quatuordecim. Quòd si Abbatissa prò servitio Ecclesiæ aliquem detinere ausa fuerit contra huius decreti tenorem, punietur nostro arbitrio

29 Cum inconveniens sit locum destinatum prò Sacramentis ministrandis (b) ad alium usum adhiberi, strictè prohibemus sub præcepto Sanctæ Obedientiæ nè aliquid extrahatur ex Communicatorio, etiam prò servitio Ecclesiæ: ac proindè prohibemus, nè ille locus extra Communionis tempus apertus sit, sed semper clausus sub pœna arbitrio nostro contra hoc permittentes.

30 Similiter inhibemus omnibus, & quibuscunque à nobis licentiam obtinentibus alloquendi moniales, nè cum ipsis collocutiones habeant in loco Confessionalis, Communicatorii, vel Rotæ in Ecclesia positis sub pœna Ecclesiasticis nostro arbitrio, laicis excommunicationis, Sacrista tamen, vel Confessarius, & Cappellanus, quibus ad

a *S. C. in una Assisii* 19. *August.* 1602. *& Spol.* 1. *Octobris* 1630. *ut ex Syn. Telesina* 1687. b *S. C. Episc. & Reg. in Bononien.* 15. *Decembris* 1615. *ut ex Syn. Neap.* 1694.

ad prediĉta loca loqui necesse fuerit, id tamen poterunt prò tempore, quo missæ celebrantur, vel ratione alicuius solemnitatis,& de illis tamen rebus loquantur, quæ ad eorum munus spectat sub pœna arbitrio nostro.

31 Nemini Monialium liceat bona immobilia, vel mobilia,(a) se se moventia quovis modo ab eis acquisita nomine proprio detinere, vel nomine Monasterij, nàm sua non sunt,& illa detinere est contra votum paupertatis sub pœnis à Sacris Canonibus comminatis.

32 Vt Moniales facilius oppugnationibus Dęmonis resistere,(b) & insidias aliorum Inimicorum superare valeant, monemus Sanctimoniales, ùt non solũ singulis mensibus ad pręscriptum Trid: sed frequentiùs Confessionem faciant peccatorum, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, pro cuius Constitutionis observantia Confessàrius nos certiores singulis mensibus faciat.

33 Monialis destinata prò rota vulgaritèr dicta Rotara,& Portinara, tempore, quo celebrantur divina officia, in Quadragesima, in Adventu, tempore Communionis, non audeat ąliquam Monialem vocare ad instantiam alicuius, vel ad Rotam, vel ad Crates, nisi ex gravi necessitate, quæ differri non potest sub pœna nostro arbitrio, nec aperire audeant hostiũ Clausuræ etiam prò introducendis victualibus in illam antè solis ortum, vel post solis occasum sub pœna arbitrio nostro.

34 Similiter prohibemus dictæ Rotariæ ne detineat apertum hostium rotæ, vel gratis de mane, antè solis ortum, et ipsa hostia sonitui campanulæ refectorij claudere teneatur usq; ad horam decimam octavam diei.

35 Mandamus etiam Cappellano, & Confessàrio Monasterij Monialium, ut persolutis divinis, & mis̀s̀is celebratis per ipsum claudantur hostia Rotæ, Communicato-

a *Trid. sess. 25. c. 2. de Regul.* b *Trid. sess. 25. c. 10. de Regul.*

catorij, & Confeſsionalis in Eccleſia ſiſtentium, item, & hoſtium Eccleſiæ, & Claves ſemper per ipſum detineantur ſub pœna Carceris formalis per menſem, ſi Cappellanus fuerit ſecularis, ſi verò Regularis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio nobis reſervata ipſo facto incurrenda.

36 Claves Clauſuræ exterioris, mandamus detineri per aliquem ex Sacerdotibus ſecularibus per nos, vel noſtrum Vicarium Generalem eligendum, cui iniungimus, nè dicta hoſtia aperiat de manè, niſi ex urgentiſsima neceſsitate, antè ſolis ortum, & de ſerò illa claudat ad ſolis occaſum: quas claves ſemper penes ipſum detineat, & nemini conſignet. Si vero contrafecerit pœna noſtro arbitrio punietur.

37 Sub pœna privationis vocis activè, & paſsivè per annum inhibemus omnibus Monialibus nè tempore baccanalium incedant larvatè per Monaſterium, non mimos exerceant, actus ſcenicos, vel veſtes viriles, vel ſeculares deferant, neque arma; (*a*) quæ etiam eis in Cellis detineri prohibemus.

38 Quando per nos deſtinatus fuerit aliquis pro concione Monialium, concio habeatur in Eccleſia per locum communicatorii, cuius tempore claudatur hoſtium Eccleſiæ, & nemo cuiusvis generis, ſexus, & conditionis admittantur ad illam audiendam, pro cuius decreti obſervantiam, conſcientiam Abbatiſſæ oneramus.

29 Vltra Officiales eligi ſolitas anno quolibet in Monaſtrio Sanctimonialium, mandamus in futurum annis ſingulis per Abbatiſsam, & ad alias, ad quas ſpectat, eligi Secretariam ex numero Monialium, quæ idonea ſit ad ſcribenda omnia neceſſaria in Monaſterio in ſeparatis libris, in quibus notet ſequentia: Conſultationes monialium in dies faciendas pro recipiendis Puellis ad habitum:

a *S.C. Epiſc.17. Aprilis 1604. ut ex cit. Syn. Caputaq. hoc tit.*

tum: Suſcipientes habitum, & in Monaſterio profitentes: dotes receptas, & in quibus emptionibus applicentur: Obitum quarumcunque Monialium cum annotatione diei, & anni: Electionem officialium Monaſterii: Inventarium mobilium, & utenſilium Monaſterii, cui Secretariæ ſub privatione vocis active, & paſſive ad noſtrum beneplacitum mandamus, ut omnia ſupradicta, in diverſis libris, ſumptibus Monaſterii emendis fideliter notet, & infra menſem, finito ſuo officio, libros ipſos ad nos transmittere faciat, & hoc non alio fine à nobis ſtatutum eſt, niſi, ut aliqua controverſia oriri non poſſit in Monaſterio.

40 Cum Sanctimoniales Deo Optimo Maximo ſint deſponſatæ, & non hominibus, omninò ſtudere debent quomodo Deo placere poſſint, tum quia nihil ſit gratiùs Deo Virginibus, & nihil cariùs habeatur, quam Virgines ſervare caſtitatem, tum etiam, quia continentia cum caſtitate, & humilitate eſt Religio acceptatiſſima ipſi Deo, præſertim cum vivere in carne præter carnem non ſit terrenum quidem, ſed potius Angelicum: Quare, ut in noſtro Monaſterio integra conſervetur vetus diſciplina, & ad eam ſe ſe ipſæ Moniales conformantes in rerum divinarum contemplatione liberius conquieſcant, & ſimplices corde, ore, et opere ſint, atque aſſiduis orationibus vacent, et Virginitatem illam illibatam Matris Dei ſæpè recogitent, ac denique in illius admiranda, atque incomparabile humilitate Deo ſoli placere ſtudeant, prout in ſumma caſtitatis, & Religionis exiſtimatione ſemper in Sancta Eccleſia vere Sanctimoniales habitæ ſunt. Nos igitur pro noſtro Paſtorali officio nonnullas conſtitutiones, rectè vivendi pro ratione temporum, ad noſtri Monaſterii Sanctimonialium utilitatem, & ſalutem in hac S. Synodo annotari voluimus; tum, ut ſingulæ Moniales certò ſciant ſtatum ſuum, & ad quid teneantur pro ſpirituali ſalute acquirenda, tum etiam, ut

ut ità se gerant, ut Virginitatis flore decoratæ Christo Iesu earum sponso gratiores reddantur, ac proinde eum sequi laudibus, & Hymnis mereantur, quo cum Christus pergit.

DE PAROCHIS, EORVMQVE CVRA.

1 PArochi ex Evangelica parabola assimilati homini negotiatori quærenti bonas margharitas, (*a*) ne una quidem ex eis, scilicet animabus suæ custodiæ, & regimini commissis, pereat; omnem sollicitudinem, vigilantiam, sedulam opem, impigrum laborem, & charitatis fervorem impendere tenentur; immo, & talem de gregis discrimine sollicitudinem habere debent; ut unusquisq; eorum cum Apostolo meritò dicere queat: (*b*) quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? elogio Profetico Angeli testamenti appellantur, de quorum more legem Dei Populi exquirunt; si ergo scientiam non habuerint; quomodo alios edocebunt? Christo Domino Pastorum capite Teste propriam animam pro ovibus suis ponere debent eas omnium bonorum operum exemplo pascendo; (*c*) Pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerendo, cæterisque Pastoralibus honeribus incũbendo, quæ omnia ab iis, qui mercenariorum more eas deserunt minimè præstari possunt. Ad hoc igitur officium quanto nobiliùs, tanto periculosiùs elevati in omnibus se ipsos exhibeant exemplum bonorum operum, elaborentque assidua sollicitudine, (*d*) & vigilantia anelantes, anathema esse pro fratribus, (*e*) ne in die iræ in reddẽda ratione de animabus sibi commissis strictissimum, ac durissimum habent judicium.

Q 2 Com-

a *Matt.* 13. b 2. *Corin. c.* 11. c *Trid. sess.* 24. *c. p.*
d *Ad tit.* 2. e *Rom.* 9.

2 Complura in nostra Diœcesi adsunt curata Beneficia, quorum electio, seù Nominatio *Rectoris*, seù Parochi, cum vacare contingerint ad Dominos Temporales spectat; quibus pro pastorali nostro officio, & pro eorum tuta conscientia notum facimus, eos non posse sine gravi Dei offensa indignos ad tale munus, Angelicis humeris formidandum, eligere: Quia non modò repugnat talis collatio, aut nominatio jure Ecclesiastico id expresse prohibenti cum in Trid. Conc. *(a)* statutum sit, ut etiam inferiora Beneficia personis dignis, & habilibus conferantur; Verum etiam adversatur juri naturali, & sensui communi; Nam cum beneficium detur propter officium idest, ut exerceantur Functiones Beneficio convenientes, conferri iis non debet, qui carent requisitis ad munera obeunda.

3 Similiter, eos peccare, quoties Ignotos homines eligunt, quia se exponunt periculo indignum eligendi, sed eos, quos sibi bene notos digniores, ac aptiores iudicio prudentum nominent; aliter incident in peccatum acceptionis Personarum; Et tales nominare tenentur juxta Trid. Sanctionem: *(b)* Decernit enim Concilium: Eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint præfici diligenter curent. *(c)* Quod etiam ex Constitut. S. Pij Quinti probatur, in qua sic habetur: ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & decernimus. *(d)* Vnde S. Augustinus inquit. *Nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.* Non enim leve, verum etiam, & gravissimum damnum inferunt Ecclesiæ Indignos ad Animarum curam nominando; Nam illi inutilem operam præstant ad Dei gloriam,

a *Sess.7.c.3.de refor.* b *Sess.24.c.1.* c *23.de collatione Eccles. Paroc.* d *In Epist.29.in c.2.Iacob*

riam, & Animarum salutem: Alij Ecclesiastici ex hoc non excitantur ad studium Sac. Theologiæ, & Canonum, cum eis spes non sit se facile obituros Beneficia ad honestam substentationem sufficientia.

4 Alij verò videntes favore, precibus, consanguineorum ope, non autem pietate, & doctrina Ecclesiastica, aut merito ullo obtineri beneficia: ijsdem pravis meritis, plerumque simoniacis, in praxi consequi nituntur. Idoneos igitur bonis moribus præditos in sacris litteris, & morali Theologiæ versatos, quorum etas senectus sit, eligant, & nominent, & hoc iuxtà Sacrorum Canonum, & Generalium Conciliorum statuta; Alias per nos, nostrosque Examinatores Synodales ad tale munus non esse admittendos, certo sciant.

5 Examinatores Synodales per nos vocandi, cum de Rectore Parochialis Ecclesiæ providendum, sit illud animo abuolvant, à Spir. S. dictatum: *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* & alibi: *Ab immundo, quid mundum!* Illos igitur tantum ad curati officium eligant, quos certo noverint elaboraturos in Vinea Domini, ut fructum plus afferat in tempore suo, quos perspexerint, lucernas ardentes esse, super Candelabrum positas, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; (*b*) Nam si eos ad tale officium assument, qui intenebris malorum operum ambulent; (*c*) movebuntur omnia fundamenta Terræ: Spirituale ædificium in totale irruet exitium.

6 Quia incolumitas Gregis, (ut verbis utamur Synodalium Constitutionum nostri Prædecessoris Antistitis Emanuelis Brancacij hoc titulo) à vigilantia pendet Pastoris; Ideoque Parochos sui Officij monemus, & per viscera misericordiæ Dei nostri obtestamur, ùt munere suo fideliter fungantur, & invigilent, tanquam rationem Deo de Animabus sibi commissis, reddituri, & Greges pecu-

Q 2 dum

a *Eccl.* 14., & 32 b *Matt.* 5. c *Psal.* 81.

dum more viventes in Aulam Domini congregare satagant; Imbuendo illos doctrina Christiana, prædicatione verbi Dei, & dierum festorum cultu, eisque ministrando Sacramenta ad æternam salutem necessaria, & omnia alia munera exercendo, iuxtà præscriptum harum nostrarum Synodalium Constitutionum; alioquin subdituros pœnas in decretis ipsis, se esse, sciant.

7 Quanta Parochorum cura esse debeat in reducendo in viam salutis æternæ Oves errantes in invio, supremus Pastor perspicuum fecit ex illa parabola: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis nonnè dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Vitia igitur, & scandala, quæ Gregem suum labefactare possunt, extirpent; quod si per seipsos agere non possint, nos consulant, ut de medio tritici zizania evellere authoritate nostra possimus. Caveant nè ab hoc tàm Sancto opere aliqua humana affectione retrahantur, & nè contra eos pij homines dicere valeant: *(a) Canes muti non valent latrare, videntes vana dormientes.*

8 Cum de illis scriptum sit: immola prò peccato tuo, offer holocaustrum, *(b)* & deprecare prò te, & prò populo, ipsos certiores esse volumus teneri prò commissi sibi Gregis salute preces Deo effundere, nè populus in viam perditionis incedat, & nè Deus contra eum gladium sui furoris evaginet, quantis malis Deus Israeliticum Populum offendisset, *(c)* si non Moyses Electus Dei stetisset in confractione in conspectu eius; Orans.

9 Studeant, & in sermocinando, & in Confessionibus audiendis omninò in praxim deducere, ut masculi post septennium cum fœminis etiam sororibus in eodem lecto non recumbant, neque cum matribus ob multa scandala euitanda; tèr moneant, & si inobedientes fuerint, ad

a *Isaiæ c. 50.* b *Levitici 9.* c *Psal. 105.*

ad nos referant, ut contrà eos gladio excommunicationis procedere possimus.

10 Commendantes laudabilem, & religiosam consuetudinem recitandi cum cantu in Parochialibus Ecclesiis nostræ Diœcesis per festos, seù certos alios dies Rosarium Virginis Mariæ mandamus, ut in ijs Parochialibus Ecclesijs, in quibus hoc tàm pium Opus ad Dei cultum, & Populi salutare præsidium est introductum, deinceps confirmetur, & promoveatur.

11 In testimonio per eos faciendo de servitio præstito Ecclesiæ, de frequentia Sacramentorum, de vita, & moribus, de exercitio doctrinæ christianæ, & de assistentia in Collatione casuum, in promovendos ad quoscunque Ordines fideliter se se gerant, alias acrioribus pœnis arbitrio nostro punientur, ultrà gravem reatum, quem coram Deo sunt contracturi: nèc prò illis litteris Testimonialibus aliquid, etiam minimi valoris sumant, sub pœnis contentis in his nostris Constitutionibus sub titulo de Sacramento Ordinis.

12 Volentes in nostra Diœcesi ad praxim deducere monitum S. Caroli: (a) Parochi antequam Parochiæ sibi commissæ possessionem adipiscantur, spiritualibus exercitijs per decem continuos dies in loco per nos destinando, ab omni rerum terrenarum aspectù, & cogitatione segregatos, se se committant, ut præsertim, qua charitate, & sollicitudine Gregem ipsis commissum dirigere oporteat, sedulo recolant,

13 Aliquo ex Parochis ægrotante in Civitate nostra, cum nullum habeat, (b) cui de Iure competat ei ministrare Sacramenta, si necessaria sint, Parochus proximior iuxta methodum, & ordinem describendum statim audita ægritudine, illum adeat, visitet, consoletur, & ad Sacra-

a *Par.2.c.1.num.13..* b *Primum Concil.Provin.S.Caroli par.3 .decis.15., & sextum provinc.eius. hoc tit.*

Sacramenta recipienda disponat, & eidem assistet, si adsit vitæ periculum.

14 Methodus, & ordo hic est. Parochus S.Stephani, & S.Blasij ad invicē. Parochus S.Andreæ, & S.Eustachij ad invicem: Parochus S.Bartholomæi, & S.Ioannis Evangelistæ ad invicem: Parochus S. Nicolai à Vicario curato S. Angeli. In Cathedrali, & Collegiatis Ecclesijs servetur earum laudabilis consuetudo.

15 Infirmante aliquo ex Parochis in Oppidis nostræ Diœcesis, Animarum cura exerceatur per Confessarium antiquiorem illius loci, usquequò per nos electio fiat Economi, seù Coadjutoris.

16 Si verò mors sequatur alicujus Parochi, statim designatus in hac superiori Cōstitutione conficiat inventarium per manus alicuius Personæ prudentis, cum interventu personæ designandæ ab hæredibus defuncti, omniū scripturarum, librorum, paramentorum, & rerum quarumcumque ad Ecclesiam spectantium. Sciantque omnia ornamenta, & Sacerdotalia paramenta ad divinum cultum deputata, post mortem cuiuscumque Beneficiati non ad hœredes, sed ad Ecclesiam, sive Beneficium, in quà Sacerdos ille vivens erat adscriptus, spectare, juxtà S. Pii Quinti Constitutionem, (*a*) quæ incipit *Romani.*

17 Secuta morte alicujus ex Parochis, illicò destinatus ad Animarum curam Nobis relationem faciat, ut de idoneo Economo: juxtà Tridentini statuta providere possimus, donec de successore, servatis servandis, provisio habeatur.

18 Cum juxtà Sacræ Congregationis Ritum, (*b*) in benedictiones domorum circa Paschalia festa proprium munus Parochorum sit: Parochi omnes nostræ Diœcesis per seipsos, & ipsis impeditis, per alios ab eis deputandos, hoc

a *Die* 18.*Septembris* 1567. b 4. *Iulij* 1620.*ut ex Syn. Neap.*1694.*hoc tit.num.*27.

hoc ministerium adimpleant sub pœnis arbitrio nostro: & nemo sivè ex seculari, sivè ex Regulari Clero audeat hujusmodi benedicendi domos ministerium sibi assumere; etiam sub pœnis arbitrio nostro.

19 Benedictiones Mulierum post partum,(a) quæ ex laudabili consuetudine ad Ecclesiam accedunt Deo gratias acturæ, à propriis Parochis in eorum Ecclesiis fiant, interdicentes hoc munus à quocumque alio fieri.

20 Confirmantes decretum in præcedentibus nostris Constitutionibus Synodalibus latum; expressè præcipimus Curatis omnibus, ut in singulis Sabbatis hora Completorii, pulsatis priùs campanis in propriis eorum Ecclesiis, alta voce recitent Litaniam Lauretanam Deiparæ, cum oratione ejusdem Virginis.

21 Et quia paschali tempore unusquisque Pastor oves suas cognoscere debet si juxtà Sacrorum Canonum mandata, sacram Communionem sumpserint, in hoc eis strictè præcipimus invigilare, & si aliquem invenerint nō obtemperasse huic tàm sancto Ecclesiæ statuto ad nos deferant, sub pœna suspensionis, & si aliqua rationabili causa fuerit prorogatum tempus, eo transacto, referat.

22 Sciant quicunque Ecclesiarum, & piorum locorū (b) curam gerunt, ne legata ad pias causas facta convertant in alium usum, quàm à Testatoribus destinata, & relicta sunt: quod si aliter fecerint per nos astringentur de proprio ad illa adimplenda juxtà Testatoris præscriptum.

23 Ut fideles Christum regnantem in Cœlis ad dexteram Patris assiduè venerentur in Terris in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento; Nos ne populum Domino dilectum hac veneratione privemus, imitantes sanctissimum zelum aliorum Antistitum, injungimus Parochis omnibus nostræ Diœcesis, ut in qualibet Dominica ter-

tia

a *S.C.Conc.in Antuerpien.18.Novembris 1662.ex cit.Syn. Neap.* b *Trid.sess.25.c.4.,& sess.22.c.6.*

tia mensis, Processio de Sanctissimo Sacramento agatur in Ecclesiis matricibus; Pro observantia hujus decreti pœnam non statuimus certò scientes per Capitulos omnes nostræ Diœcesis devotissimos esse servandum; sicuti hunc laudabilem usum à primo ingressu in nostra Diœcesi servari invenimus à Reverendissimo Capitulo nostræ Cathedralis Ecclesiæ.

In die Dominica Palmarum, ne deferantur in Ecclesia palmæ vanis ornatæ, ut benedicantur sub pœna excommunicationis.

24 Candelæ, quæ Sacro die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis solemni ritu publicè benedici in Ecclesia solent, ijs tantum distribuantur qui in Ecclesia aderunt.

25 Candelæ ipsæ Parochorum expensis, ubi non adest contraria Consuetudo, emantur, ùt expressè mandavit Sacra Congregatio Episcoporum per tres decisiones, (*a*) ùt refert Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus in sua methodo Visitationis Apostolicæ sub pœna librarum viginti Ceræ albæ laboratæ applicanda Pauperibus illius loci, in quo candelarum benedictio facta non fuerint.

26 Conscios esse volumus Rectores quoscunque Ecclesiarum, (*b*) nè Candelas benedictas ad laicorum, aliorumque Domos mittant; nè ea, quæ ab Ecclesia ad pietatem excitandam, & Dominica mysteria recolenda, instituta sunt, ab Ecclesiasticis, quasi in obsequium, & tributum Laicis elargiantur.

27 Cum à symoniȩ labe non absit aliquid prò Sacramentorum administratione recipere intuitu ipsiusmet ministerij spiritualis: (*c*) nemo ex Parochis nostræ Diœcesis aliquid hoc recipere præsumat, nàm in pœnas, &

Cæn-

a *Par.3.§.13.n.20.verbo Candelæ benedictæ* b *Concil. provin. Benevent. 1693. tit.4.c.2.* c *S.C.Con.5.Feb. 1593. ut ex Barbos. in collec. Bul. hoc tit.*

Censuras contrà Symoniacos inflictas incidet, & per nos iuxtà Sacros Canones punietur. Cum hoc verò non intelligimus, quin recipi possint spontaneæ oblationes Fidelium. In reliquis verò unusquisque servet taxam antiquam nostræ Diœcesis per nos in titulo de Sacramento Ordinis descriptam.

28 Si vigilia S. Matthiæ Apostoli venerit in feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ, quæ est ultimus dies Carnis privii, nequit anticipari cum Ieiunio, sed ieiunium prædicta feria omninò servandum censuit Sac. Congreg. (a) neque per nos iuxta Probalistarum sententiam anticipari potest: Ideò præcipimus Curatis omnibus, ut cum acciderit Ieiunium tali die, illud servari à Parochianis moneant.

29 Cum præcepto divino mandatum sit omnibus curam Animarum gerentibus Oves suas agnoscere, prò illis sacrificium offerre, (b) divini Verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, & cætera munia pastoralia obire: ut in ijs exequendis Parochi expediti sint, mandamus eos apud suam Parochiam residere; quamvis Parochia paucorum Incolarum sit; (c) Neque quoad hoc excusatio ulla eis suffragatur: neque si habeant Coadiutorem perpetuum, neque propter insalubritatem aeris.

30 Si in Parochia domus parochialis conjuncta Ecclesiæ adsit, in eadem domo resideat, aliàs ædem viciniorem Ecclesiæ conducat, vel intrà fines Parochiæ, ut indè commodè possit ei inservire, sub pœnis in citato Tridentino Concilio contentis.

31 Parochi, Economi, & alii quocunque titulo nominati curam Animarum habentes in nostrà Diœcesi nullo prætextu, & causa etiam legitima intercedente, à

R loco

---

a 23. *Januar.* 1694. b *Trid. sess. 23. c. 1. de refor.*
c *De Asta loc. cit. verbò residentia n. 1.*

loco residentiæ abesse audeant ultrà duos dies absque expressa nostra licentia (a) sub pœnis subtractionis fructuū, & proventuum, & in hoc casu advertant substitutum relinquere, qui sit Confessarius per nos deputatus ad Sacramentales Confessiones audiendas.

32 Casu quo aliquem Parochorum (b) ex aliqua legitima causa à sua residentia per aliquod tempus non excedens bimestre abesse contingerit, priùs substitutum deputet per nos approbandum, & posteà obtenta licentia à nobis in scriptis discedat. Si quis autem (sunt verba Trident.) (c) contrà hujus decreti dispositionē abfuerit: statuit sacros. Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructos suos non facere; nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos sibi detinere posse, sed teneri illos fabricæ Ecclesię, aut pauperibus loci erogare.

33 Non solùm in iis, quę Parochis in nostris sanctionibus statuta sunt peragenda, ipsi se exhibeant prompti Ministri Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, sed in aliis omnibus ad eorum curam spectantibus, ut in die rationum, cum venerit Princeps Pastorum, percipere possint immarcescibilem coronam gloriæ, &c.

DE FUNERIBUS, ET EXEQUIIS.

1 IN summa religione apud veteres positum erat suos mortuos honorificis monumentis tūmmulare, sicuti Ægyptiorum sepulchra testantur, diuque defunctorum manes requie carituros putabant si corpora insepulta

a *De Asta in Met. Visit. Apost. par.* 3: §. 12. *verb. discessus à resid. n.* 8. b *De Asta loc. cit. n.* 37. c *Sess.* 23. *de reform. c.* 1.

ta jacerent, & tamen carnis resurrectionem ii non credebant; quanto magis Nos, qui confitemur in carne nostra Salvatorem mundi esse visuros, pium hoc, & laudabile Ecclesiæ non sine mysterio introductum institutum mortuos in sacris locis sepelireCatholica charitate,& pietate prosequi. Quantum igitur divinæ placeat Majestati opus misericordiæ mortuos religiosè sepelire non solum Realis Propheta apertũ facit his verbis: *(a)benedicti vos à Domino,qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum*: verùm & Angelus Tobiæ: *quando sepeliebas mortuos tecum eram*. Parochi igitur aliisque ad officiosum hoc munus vocati piè, sanctèque illud ità compleant, ut non quæ sua, sed quæ defunctorum animabus prodesse possunt quærant: memoriç retinentes, quòd: *(b) sanctam,& salubris est excogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

2 Ad removenda scandala,quæ in Funeribus,& exequiis oriri solent inter Clerum Secularem,& Regularem, & hçredes Defunctorum, servari mandamus sequentes nostras Constitutiones, & alias providas Ordinationes Prædecessorum nostrorum, sub pœnis in eisdem decretis contentis, & aliis arbitrio nostro.

3 Confirmantes decretum à nobis latum in Synodalibus Constitutionibus anni 1706. strictè inhibemus omnibus curam Animarum habentibus, ne tempore hyemali ultrà decimam octavam horam, & tempore æstivo ultrà duodecimam dilatent Ecclesiasticam sepulturam cadaveribus Defunctorum.

4 In unoquoque Oppido nostræ Diœcesis caveat unusquisque Parochus ne aliquid exigat pro jure funerum, tàm pro tumulandis cadaveribus corpusculorum, quàm aliorum, quàm quod ab immemorabili exigi solitum est, sub pœna ducatorum sex pauperibus loci applicanda.

a 2. *Reg.*1. b *Maccab.*12.

5 Defunctorum Cadavera absque consuetis cæremoniis exequiarum, nullatenus ad sepulturam deferantur, sed à proprio Parocho cum Crucis parochialis interventu, & suo Clero exequiæ celebrentur, in quibus caveant Parochi, ne absque luminibus, adminus quatuor accensis, cadaver ad sepulturam associent ad præscriptũ citati Provincialis Concilii, sub pœnis arbitrio nostro.

6 Si contingerit cadaveri tradi Ecclesiastica sepultura extrà horam missarum, prima die non impedita, vel in die tertio, & ad plus septimo exequiæ cum missa celebrentur, nè illius Anima piis privetur suffragiis.

At quia decet Omnes orare pro Animam Pastoris, qui animam suam posuit pro Ovibus suis; defuncto Episcopo Diœcesano in unoquoque Oppido Diœcesis novies pulsentur Campanæ sonitu lugubri, & qualibet Sacerdos missam prò illius Anima celebret.

7 In dies in nostra Curia semper est controversum, nùm Adscripti alicui ex Confraternitatibus possint sepeliri in sepultura in Ecclesia Confraternitatis, cui se abdicaverunt aliam electionẽ sepulturæ non facientes? cui quæsitoni ad supplicationes pro parte Ecclesiæ S. Ioannis Maioris à Neapoli per Sacram Congregationem die 29. Iunii 1692. fuit responsum negativè, & nos juxtà huius resolutionis tenorem in futurum servari iubemus.

Et quia finis noster in his sanctionibus est scandalis omnibus obviare, ut Populus fidelis nihil habeat mali còntrà Clerum Secularem, & Regularem dicere, mandamus Parochis omnibus ne impediant Tertiarias, vulgò dictas Bizoghe, quin in earum morte sepeliri possint in Ecclesiis Regularium, de quorum religione habitum in vita gestaverunt, dummodò in eis, ultrà requisita Constitutionis Leonis X. fuerint alia contenta in Decreto Congregationis Episcoporum Regularium sub die vigesima Decembris 1616. quæ sunt. *Primò, che ricevano l'abito da qualche Regulare, che tiene tal facoltà dalla Sede.*

de Apostolica Secondo, che sia d'approvata vita, e costumi buoni. Terzo, che sia in età almeno di quarāt'anni. Quarto, che habbi pecul io di poter vivere del suo. Quinto, che habiti in casa propria, o di congionti in primo grado. Sesto, che ottenghi primo licenza dal Vescovo di pigliar l'abito.

10 Nemini ex Parochis, aut alio curam Animarum habenti tumulare liceat Defunctorum Fidelium Cadavera, nisi in Ecclesia, & Sepultura per ipsos electa, cum in Electione Sepulturæ Parochi assensus, & licentia non requiratur, caveant de contrario, alias pœnis arbitrio nostro punientur.

Præcipimus Sacerdotibus omnibus, & Clericis, ut in Funeribus associandis omni gravitate, & modestia se gerant induti decenti, & talari habitu, mundisque superpelliciis, ac clericalibus biretris, nec ante solis ortum, nec post eiusdem occasum exequias associent absque nostra, vel nostri Vicarij Generalis licentia, sub pœna librarum quinque ceræ albæ à singulis eorum exigenda.

DE CAPITVLIS, EORVMQVE OFFICIO, ET CHORI DISCIPLINA.

1 DEus, & splendor non solùm Civitatis, verùm, & Diœcesis nostræ est ultra venerandum Capitulum Cathedralis tres adesse in Civitate Collegiatas Ecclesias antiquissimam unam S. Angeli antiquam, alteram S. Petri, & tertiam nostris temporibus erectam S. Joannis Baptistæ, in quibus juxtà S. M. E. Ritum, quod Apostolorum temporibus exordium habuit, & deindè à variis Summis Pontificibus, maximeque à Gelasio primo, duobus Gregoriis Quinto, & Septimo usque ad Vrbanum Octavum auctum, & ordinatum; psallendo laudes Deo decantantur, & omnes Ecclesiasticæ functiones ea, qua decet Majestate ritè persolvuntur per Canonicos, qui ultra

tra

trà morum gravitatem, ſcientiam Sanctorum, & omnes alias virtutes per Apoſtolum (*a*) enumeratas cum in ſalmodia, & hymnodia indefeſſi ſint; meritò cum eodem Apoſtolo: gaudium noſtrum, & corona Diœceſis vocari poſſunt. Studeant igitur ii Eccleſiaſtici, qui à cæteris ſelecti hoc nobiliori gradu decorati dignoſcuntur, nè pſallendo corpore in Choro, & corde in foro exiſtant, juxtà Eccleſiaſticum (*b*) *Vnus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiat Deus?* aliàs indignationem Omnipotentis Dei incurrere ſciant, qui dum ipſum orant irrident. Omnes propterea, qui ad Divina congregantur hortamur, ut præ oculis illud Apoſtoli habeant: (*c*) *Orabo, & ſpiritu, orabo & mente pſallam ſpiritu, pſallam & mente.*

2 Monitos illos facimus, ut ſublati à rebus ſæculi in altiorem locum, ſatagant ità morum integritate eluceſcere, ut ſæculares nihil in eis recognoſcant, quod erubeſcentiæ ſit, nè cum Hieremia conqueri poſsimus: ***Filii Sion inclyti, & amicti auro primo quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manum figuli?***

3 Atque ut omnibus innoteſcat hora ad Chorum conveniendi, mandamus in Sacriſtijs Eccleſiarum affiggi tabellam horariam per nos ſtatutam, & in ſacriſtia noſtræ Cathedralis affixam, quam omnimodò ſervari ſtatuimus ab omnibus Capitulis, Chori ſervitium habentibus.

4 Quando in Choro divinum perſolvitur officium, iubemus nullos ſeculares exiſtere. Præfecti proinde Chori eos non permittant ingredi, & ingreſſos eijci curent. Laici verò reſiſtentes pœnam expulſionis ab ingreſſu Eccleſiæ ſciant ſe incurrere.

5 At quia nobis conſtat officium Deiparę Virginis in noſtra Cathedrali, & alijs Eccleſijs Collegiatis ex laudabili conſuetudine recitari, quando fit officium de feria com-

a *Philipp. cap. 4.* b *Cap. 34.* c *Prim. Cor. 14.*

cõmendantes hanc consuetudinem in futurum sic servari præcipimus.

6 Licet invenerimus nostram Cathedralem Ecclesiam seculo, & plus fuisse Consecratam de qua consecratione usque ad præsens per Reverendiss. Capitulum, Clerumque omnem recitatum fuerit officium anno quolibet sub die 18. Septembris, attamen, quia à primo terremotu sub die quinta Iunij 1688. à secundo sub die octava Septembris 1693., & à tertio sub die decima quarta Martij 1702. Ecclesia prædicta ab eorum incussibus ferè tota diruta fuit, & per nos redificata, & decenter ornata: rogavimus Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum D. Simonem Viglini Episcopum Trevicanum, ut Ecclesiam ipsam denuo consecraret, & idem Dominus Episcopus à nobis rogitus, illam consecravit sub die 23. Octobris. indicendo recitationem divini officij de consecratione Ecclesiæ cum octava sub Dominica tertia Octobris. Nos igitur officium cum octava dedicationis Ecclesiæ die, quo supra celebrari iubemus à nostro Reverendissimo Capitulo, & Clero toto nostræ Civitatis, quẽ diem dedicationis cum officio à Regularibus omnibus nostræ Civitatis servari iubemus.

7 In omnibus Ecclesijs, in quibus adest obligatio celebrandi divinum officium in Choro, & non alibi extrà illum, veluti in Sacristia, vel aula coniuncta Ecclesiæ recitetur; Cum hoc expressè sit prohibitum per Sacram Rituum Congreg.

8 Ad præscriptum Synodalium Constitutionum Prædecessoris nostri Emanuelis Brancacio, (*a*) mandamus in unaquaque Ecclesia, ubi adest onus divinorum officiorum, adsint libri chorales, nempè Graduale; Antiphonarium, Psalterium, Martyrologium, Directorium Chori, & Calendinum, & ubi non sunt, infrà sex menses compa-

r en-

a *Tit. de horis Canonicis pag. mihi* 38.

rentur, sub pœna ducatorum trium pijs usibus applicandorum.

Vt fidelis Populus absens ab Ecclesia humiliter preces Deo effundere possit, illum suppliciter exorando, ut memor suæ Sanctissimæ passionis, cuius memoria recolitur in Sanctissimo Missæ Sacrificio rorem suæ benedictionis illi infundant, mandamus, ut in elevatione Sanctissimi Sacramenti in Missa Cōventuali dentur signa distincta Campanæ, iuxtà morem nostræ Cathedralis Ecclesiæ.

TITVLVM DE CONGREGANDO CAPITVLO.

1 PRò conservatione, & manutentione bonorum Ecclesiasticorum, ac rerum Capitularium, quando aliqua urgens causa contingerit, Capitulum congregari, iuxtà antiquissimum usum nostræ Cathedralis; Fiat anteà intimatio prò certa die, & hora omnibus, qui convenire debent etiam sonitu Campanæ maioris, prout hactenus factum est dumodo necessitas non urgeat. Nàm si huiusmodi formalitate dimissà, aliquid actum, vel constitutum fuerit, nullum sit omnino, & invalidum.

Animadvertat is ad quem Capitularis convocatio spectat, ut antecedenti die Capitularis Congregationis monitos faciat eo ordine, quo supra Canonicos; & Capitularis Congregatione fiat in diebus festis, neque eo tempore, quo divina celebrantur, nisi aliter evidens necessitas postulaverit, & periculum sit in mora, sub pœna nullitatis actorum.

2 SecretariusCapitularis, vel de Canonicorum numero, vel alius Sacerdos per Capitulum eligatur, cuius officium sit Ordinationes, Provisiones, Resolutiones, & omnia acta discussà, & determinata in singulis Capitulis in libro notare cum designatione diei mensis, & anni, & nominum Canonicorum, præsentium, ùt in futurum appareant.

Quæ

Quæ acta in Archivio Ecclesiæ perpetuis temporibus asserventur.

3 Si de re gravi, quæ in uno Capitulo proponitur, maturiora discußio requiratur ad hoc, (a) ut quis maturius rem illam considerare poßit, prorogetur, & in sequenti Capitulo decernatur iuxta Divi Caroli methodum.

4 At quia contingere potest, ùt in negotijs resolvendis Capitularium vota sint paria, mandamus, determinationem suspendi, & nos certiores fieri, ùt quod magis expedire videbitur per nos decernatur.

5 Iura omnia statuunt, ut qui de gremio Capitulorum sunt, munera, & officia eorum peragere teneantur: hoc nostro igitur statuto decernimus nemini ex Capitularibus licere munus, & officium à Capitulo sibi demandatum recusare, nisi ex iusta, & legitima causa, quæ occultis votis Capitulo ipsi comprobetur. Si quis autem contrà huius nostri decreti mandata aliter agere ausus fuerit absque justa causa, absque alia ulla declaratione, careat distributione unius mensis.

6 Dum in Capitulis (a) tractantur negotia quomodolibet spectantia ad aliquem ex Capitularibus pro, vel contra, vel eiusdem consanguineis, vel Affinibus usque ad secundum gradum inclusivè, monebitur à Præfecto Chori, ut exeat, nec redeat, nisi eo negotio resoluto.

7 Pro coronide monitum Divi Caroli vobis legendum hic notamus per hæc verba. (b) Priori loco tractanda in Capitulis præponite, quæ ad Divinum cultum, ad spiritualis vitæ progressum, ad Ecclesiasticā disciplinam tuendam, tum quæ ad rerum temporalium gubernationē pertinēt ne negligite. Omnia agite pace mutua, concordi voluntate, & charitate fraterna. Vos invicem diligite, Canonici

a *Sac.Cong.Ep.*14.*Martij* 1615. *ut in Syn. Neap.*1694. *hoc tit.n.*13. b *Ex Barb.de Canon.& Dignit.c.*40.*in fin.*

nonici enim estis, qui pro Collegii ratione, ex antiquo instituto, una in Collegiata Ecclesia, unoq; item in Canonicali Domicilio collocati fuistis. Ità uno pacis, & charitatis fœdere unaque Animorum Confessione, coniunctissimi, sicut nascentis Ecclesiæ ministri, quorũ erat cor unum, & anima una, experiendo videte sicut in psalmo scriptum est.

TIT. DE ARCHIVIO CAPITVLORVM, ALIARVMQ; ECCLESIARVM.

1 ECclesiarum iura, & bona per iurium eorumdem monimenta, (a) monimentorumque vigilem in Archiviis custodiuntur; E converso per iniuriosam negligentiam eandarum Scripturarum in iisdem Archiviis dilabuntur: Nos igitur, ut huic Ecclesiarum detrimento, quantum in nobis est, consulere valeamus, decernimus in unaquaque Capitulari Ecclesia nostræ Diœcesis infrà menses sex construi Archivium cum duabus clavibus, quarum una per Digniorem, altera per Archiviarum detineatur, ubi actù non adest. In quo Archivio conserventur scripturæ omnes ad Capitulum ipsius Ecclesiæ spectantes.

2 Sed quia ex fide dignorum relationibus nobis certò constat, complures scripturas, & computum libros penes Ecclesiasticos particulares detineri; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandamus, quemlibet ex Ecclesiasticis infrà mensem teneri scripturas ipsas Archivistæ consignare.

3 Eadem excommunicationis pœna innodari volumus Archivistam, si de cætero scripturam aliquam in Archivio detentam originalem alicui tradiderit, etiam de

a *Con. Prov. 3. S. Caroli tit. 3. de iis, quæ ad capit. pertinent §. Canonici duo.*

de numero Capitularium ; absq; rationabili causa, vel si non adsit scriptura de recepto, & in eodem Archivio conservanda.

4 Infrà mensem confici volumus inventarium scripturarum omnium in Archivio contentarum: Et si extrahi contingerit copiam scripturæ alicuius ex Archivio, (a) per Archiviarium, seù Notarium extrahatur in loco, ubi Archivium detinetur, præsentibus deputatis rArchivii.

5 Ad præscriptum S. Caroli loco citato, cum contingerit mutari Archivistas, per Instrumentum publicum consignatio scripturarum omnium in Archivio sistentium fiat; & si aliqua ex scripturis ipsis in Inventario contentis, deperdita inveniatur, cedat in damnum Archivistæ.

6 Ad hoc, ut attestationes, & fides veritatis, quæ à communitatibus, (b) & RectoribusEcclesiarum fiunt, plenam fidem faciant, munitæ esse debent sigillo Ecclesiæ propriæ; Propterea hoc nostro statuto præcipimus, unamquamquam Ecclesiam infrà menses tres se providere de sigillo proprio cum impressione titularis Ecclesiæ sub pœna carolenorum decem.

DE MAGISTRO CEOREMONIARVM.

1 Ecclesia Dei veluti Castrorum acies ordinata, Spiritu Sancto afflata cœremonias instituit mysteriis plenas, quibus per visibilia pietatis, ac religionis, signa invisibilia Dei intellecta inspiciuntur. Nos itaque ceremoniarium ritum in nostra Diœcesi, quantum vires nostræ suppetunt, iuxtà methodum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in usum restitui præcipimus.

a Conc.Prov.S.Caroli loc.sup.cit. d Gavantus verb. capit.n.36.

2 In iis omnibus, quæ ad officium Cœremoniarum magistri pertinent, volumus ab unoquoque de Capitulo obedientiam præberi exactissimam: Quod si aliquem reluctantem invenerint, ad nos referant, ut iuxta qualitatem inobedientiæ contra eum opportunis pœnis providere valeamus.

DE MENSIONARIJS.

1 PRæter præfixum numerum Canonicorum in nostra Cathedrali Ecclesia adsunt Mansionarii, sive Hebdomadarii, qui se gerant, prout Ecclesiæ ministros decet: quæ de Capitulis digesta sunt, de ipsis respectivè per nostras Sanctiones rescribuntur. Quibus etiam mandamus, ne per alios, etiam Canonicos Choro deserviant, sed per seipsos in suo munere, & negligentes pro modo culpæ à Chori Præfecto in distributionibus puniri volumus, nec excusari possunt iuxtà Divi Antonini verba ratione exiguitatis præbendæ, si ex ea non percipiant sibi necessaria; sed imputent ex quo se fecerunt, ad illam in titulari.

2 Mansionariorum Electio, vel nominatio cum ex antiqua consuetudine in nostra Cathedrali Ecclesia pertineat ad nostrum Reverend. Capitulū, ad nos vero confirmatio, illud monemus, ut quando contigerit, electio cadat in Ecclesiasticum omni virtutum genere præditum, & in Gregoriano cantu versatum, alias sciant per nos confirmandum non esse.

DE ECCLESIARVM SACRISTIS, EORVMQVE MVNERE.

1 VNaquæque Ecclesia, in qua adest servitium Chori, habeat Sacristam maiorem, qui custos sit Sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, & totius thesauri Ecclesiastici; Vt hæc omnia, & maximè quæ proximè Sacrificio necesse sunt, sint munda, & niti-

da

da eligatur, à quibus ſpectat, fidelis, nec ad officium ſuum admittatur, niſi prius præſtita idonea fideiuſſione, & facto inventario omnium mobilium ad Sacriſtiam pertinentium.

2 Curet Sacriſta major ne in Sacriſtia fient ſtrepitus, deambulationes, confabulationeſve laicorum, & mulieres verſari, neque permittat celebrari ante Auroram, vel poſt meridiem: Curet obſervari, quæ debentur à Clericis, quos regat, & corrigat, malè moratos, & diſſolutos arguat, & ſi quos incorrigibiles invenerit, nos certiores faciat, ut iuxta Canonicas Sanctiones contra eos procedere valeamus.

3 Vltra maiorem Sacriſtam in vnaquaq; Eccleſia adſint alii Sacriſtæ minores numero, prout neceſſe eſt, quorum munus ſit feſtis præcipuè diebus, Altari decenter ornare, Ecclesiam totam Sabato ſaltem quolibet mundare, dummodo infrà hebdomadam alius dies feſtus non incidat. Hora congrua ſigna màtutini, Miſſæ Veſperarum, aliarumve horarum dare, iuxta præſcriptum, in tabella horaria.

4 Exhibeant celebraturis veſtes illius coloris, quem ritus Eccleſiæ Sanctæ popoſcerit, quibus in Sacrificio Miſſæ deſerviant.

5 Curent etiam, ut ad ſolis ortum, in meridie, & ad ſolis occaſum pulſentur Campanæ, iuxtà antiquiſſimum morem univerſalis Eccleſiæ.

DE RESIDENTIA BENEFICIATORVM, ALIORVMQVE CLERICORVM.

1 QVi Dignitates, Canonicatus, & alia beneficia Eccleſiaſtica obtinent, in quibus iure, vel conſuetudine perſonalis reſidentia requiritur; (a) Eis ſtrictè præcipi-

a *Seſſ. 6. c. 2., & Seſſ. 23. c. 1. Seſſ. 24. c. 12. de reform.*

cipimus, ut personalem residentiam iuxtà Sacri Concilij Tridentini decreta, & constitutionum Pij Quarti, & S. Pij Quinti, aliorumq; Pontificum in loco, ubi adest beneficium, præstent per se non per substitutum, legitimo cessante impedimento.

2 Verum si aliqua urgente necessitate (dummodo non sit Parochus) recursum habere non possit ad nostram Curiam, & per breve tempus non excedens tres dies sua Ecclesia discedere velit, licitum sit licentiam à Vicario Foraneo petere.

DE REGVLARIBVS.

1 HAs nostras Synodales constitutiones, Regulares quicumq; in hac Civitate, & Diœcesi degentes, & præsertim ij, qui à Nobis, ad Sacramentales Confessiones audiendas, fuerint approbati, frequenter perlegant, præsertim quæ de Prædicatione Verbi Dei, De ministratione Sacramentorum in genere, & in specie, de Sacrosanctis Ecclesijs, de Processionibus, de funeribus; Vt, quæ in ijs ad ipsos pertinentia, statuimus, valeant adimplere.

2 Quia, ut Sacra Cong. Episcoporum decrevit, Regulares omnes cuiusvis ordinis, & instituti, non possunt Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum exponere publicè venerandum in ostensorio, nisi prò publica causa, & cum nostra expressa licentia; Præcipimus itaq; Superioribus omnibus Regularium nostræ Diœcesis, nè contrà mandata Sac. Congregationis Venerabile, Populo adorandum exponant, sub pœna interdicti suarum Ecclesiarum.

3 Regularis quicumq; ut ex Trid. habemus, cum teneantur dies festos, ab Episcopo in sua Diœcesi promulgatos, observare Nos auctoritate eiusdem Concilij præcipimus Regularibus omnibus Civitatis nostræ, ut diem

Festum

Festum Sancti Othonis, principalis Patroni Civitatis, qui celebratur anno quolibet sub die vigesima tertia mensis Martij, iuxtà præscriptum Sanctæ Matris Ecclesiæ servent. Et de eodem Patrono recitent officium, uti alij Presbiteri Seculares, ut ex decreto Congregationis Rituum.

4 Idem servari mandamus à Regularibus, in Diœcesi nostra existentibus, sub pœnis iuxtà Sacros Canones, & alijs arbitrio nostro.

5 Nemo laicus, qui septimum ætatis annum excedit, devotionis, ac etiam voti prætextu cuiuscumq; Ordinis Religiosum habitum deferre, eoq; indui audeat, cum hoc expressè per Pontificum statuta sit prohibitum.

6 Nemo Regularium Superior permittat, novas Indulgentias in sua Ecclesia publicari, absq; nostra expressa licentia, in calce membranæ Indulgentiarum subscribenda, sub pœnis arbitrio nostro. Neq; novas Reliquias Sanctorum venerandas exponere, absq; nostra speciali approbatione, sub eisdem pœnis.

7 In omnibus ijs ad Parochorum officium spectantibus nullo modo Regulares se ingerant contrà Sacrorum Canonum, & Sacræ Congregationis Decreta, alias per Nos ordinaria, & delegata auctoritate, pœnis, & censuris Ecclesiasticis punientur.

DE ADMINISTRATIONE RERUM ECCLESIASTICARUM.

1 NEfas est fidelium elargitiones res Consecratas, quæ Patrimonium illius, *(a)* qui semetipsum esinanivit evaserunt, in alium quam prò stipendio ministrantium Divinis pauperum, aliarumque miserabilium personarum subventione, & prò suffragio animarum, usum

a *Philip.2.*

usum converti. Studeant propterea Procuratores, & administratores Ecclesiarum, aliorumque Piorum locorum omnem curam, & diligentiam in rectè ministrando Patrimonio Christi, tanquam si in rem propriam adhibere, ne cum Anania,(a)& Saphira, qui ob reemptam pretij partem ad Apostolorum pedes iam oblati horrenda morte fuerunt multati; simili flagitio à Deo, qui propter misericordiam inopum, & Pauperum gemitus exurrexit puniantur.

2 Vnaquæq; Ecclesia, quæ proprium non habet Rectorem, sed per Procuratores annuatim eligendos administratur habeat duos libros paginæ albæ grandes. In primo notentur mobilia omnia, & utensilia illius Ecclesiæ Confraternitatis, hospitalis,&c., singula distinguendo, quæ sint de corpore illius, vel Capellarum. Deinde relictis folijs quibusdam, notentur omnes scripturæ, tàm publicæ, quàm privatæ ipsius Ecclesiæ, seù pij loci, notando contenta in illis, & à quibus Notarijs sint stipulatæ; de eisdem prætereà scripturis publicis, mandamus desumi exemplum authenticum infrà mensem post stipulationem, & in calce eiusdem libri conservari. Adnotentur etiam privilegia, statuta, prærogativæ, aggregationes Indulgentiæ, & similia eiusdem Ecclesiæ licet habeantur originalia. Alijs folijs interiectis notentur summariè ex Inventario, omnia bona stabilia, cum suis oneribus, si quæ adsint. Item annui redditus, Census, & Canones quicumq; super bonis à quocumq; possessis, cum annotatione possidentium. Omnia Iura, Credita, nomina debitorum, Introitus, ac proventus, ad Ecclesiam, vel pium locum pertinentia. In aliis foliis subsequentibus describantur onera Missarum, & Anniversariorum persolvenda cum distinctione temporum, & locorum, & pro quibus sint applicanda; Et quæ bona posidentur pro stipendio

a *Hæbreor.5.*

pendio adimplementi talium onerum.

Si verò Ecclesia habeat Confraternitatem in alio libro grandi describantur Confratres,& electio officialium, juxtà statuta tempora facienda, simulq; Regulæ illius Confraternitatis, & statuta servanda à Nobis, vel prædecessoribus nostris approbata.

In secundo Codice primo loco describantur locationes Domorum,& aliorum locorum stabilium, traditiones animalium ad societatem. Deindè registrabuntur annuæ administrationes cuiuscumq; Procuratoris, describendo primò partitas introituum exactorum de censibus, redditibus, eleemosinis, obventionibus, & alijs quibuscũque, taxando pretia rerum. Deindè describantur partitæ exitus,& in finem calculum apponere, num Procurator illius anni sit Creditor, vel Debitor, ut in visitatione Diœcesana per nostrum Rationalem revisio fieri possit, cum significatoria, vel liberatoria.

3 Procuratores,& Administratores Ecclesiarum, alio-rumq; Piorum locorum singulis annis mutari, hac nostra Constitutione decernimus,& ij eligantur, qui sint idonei ad hoc munus exercendum, bonæ vitæ, & famæ, & antequam ministrent in tali officio idoneam cautionem de recta administratione, & redditione computum exhibeant.

4 Expressè prohibemus Administratoribus ipsis, nè absq; speciali rescripto nostro, nostræve Curiæ, partem etiam minimam Introituum expendere audeant ad eorũ arbitrium, sed tantum ad destinatos usus, juxtà voluntates testatorum, & Benefactorum, qui legata ipsis locis Pijs peragerunt.

5 Locationes prædiorum, & venditiones fructuum, summæ ducatorum decem,& plus, fient sub hasta Candela accensa, & prævio edicto, & plus offerenti liberentur, sub pœna nullitatis actus.

6 Piorum locorum, vel Confraternitatum, admini-

 stratores

ſtratores, ſi à Laicis, vel Communitatibus, ex privilegio, vel conſuetudine, nominentur; abſq; noſtra, vel noſtræ Curiæ confirmatione, ſub pœnis arbitrio noſtro adminiſtrare non audeant; Iiq; electi per Nos admittentur, qui decocti, vel nimio ære alieno gravati, vel ipſis piis locis debitores non ſint.

7 Adminiſtratoribus ipſis, quibus cura incumbit Eccleſiarum, & altarium inhibemus, ne Eccleſiaſticam ſuppellectilem aliis mutuentur abſq; noſtra ſpeciali licentia, vel noſtrorum Vicariorum foraneorum, ſub pœna libræ unius ceræ albæ laboratæ.

8 Pecunia provenientes ex venditionibus, vel introituum exactionibus neceſſarias expenſas ſuperantium adhiberi mandamus in emptiones bonorum ſtabilium, ſeù cenſuum, non verò animalium, & prævio aſſenſu noſtræ Curiæ præſtando.

9 Decimæ prædiales, & fructus aſſignati pro quarta Eccleſiæ, uti in cõpluribus Parochialibus Eccleſiis noſtræ Diœceſis ſtatutũ invenitur ſingulis annis à proprio Procuratore quartæ exigantur, & in nullum alium uſum convertantur, & expendantur, nisi in neceſſariis eiuſdem Ecclesiæ, & quo ad hoc omnino volumus antiquum uſũ uniuſcuiusq; Ecclesiæ.

10 Procuratores quartæ decimarum ſingulis annis in menſe Julij eligi mandamus ab ijs, ad quos ſpectat; & ij antequam ad procurationis officium admittantur idoneam cautionem præſtare teneantur in noſtra Curia, de ſolvendo quidquid, reddita ratione, fuerit iudicatum ab eis perſolvi.

Quoniam in Monte Pietatis noſtræ Civitatis erecto ab Illuſt. & Reverend. Alphonſo de Ferrera noſtro Prædeceſſore Antiſtite, ab anno 1591 adeſt onus tribuẽdi ſubſidia dotalia orphanis Puellis, tum Civitatis prædictæ, tum Diœceſis mandamus omnia, & ſingula contenta in ſtatutis dicti Montis adamuſſim ſervari.

11 Man-

11 Mandamus omnibus Ecclesiarum, Hospitalium, aliorumq; Piorum locorum Æconomis ut tempore Diœcesanæ visitationis,& extrà visitationē,quandocumq; fuerint requisiti, completo Anno Administrationis, in nostra Curia exhibeant libros Computorum, sub pœnis arbitrio nostro, ad hoc,ut per Rationalem per Nos assignandum computa ipsa videri,calculari,& significàri possint.

12 Nullus audeat à libris prædictis demere, delere, immutare,ac pervertere,tàm in scriptura, quàm in summis,supputatione, & abaco; Neque folia detrahere, & de novo exemplare, & describere, sub pœna excommunicationis,statim incurrenda,tàm ab ipsis principalibus transgressoribus, quàm à mandantibus.

DE VICARIIS FORANEIS.

1 Nè in locis nostræ Diœcesis prò rebus levibus; quisq; cogatur ad Civitate madire incommodis itineris,& expensarum:in unoquoq;Oppido,per nos Vicarius Foraneus stat electus, qui facultatem habet cognoscendi,& decidendi causas omnes Civiles, summam ducatorum trium non exedentes.

2 Querelas, informationes, & examina testium in Criminalibus Causis ad forum nostrum spectantibus,recipiant, & ad nostrum Vicarium Generalem transmittant.Quod si aliqua humana affectione ad processus celandos inducti fuerint, gravissima, nostro arbitrio se multandos pœna,animadvertant.

3 Si parte instāte querelas,non exceperint,aut exceptis ijs,ad processum informativum,nō procedant; eadem pœna,per nos multandos esse sciant.

4 Quando de aliquo Crimine ipsi certam notitiam habent; mandamus de eo certiorem fieri nostrum Generalem Vicarium, ut sua prudentia cognoscere possit,

quid agere debeat sub pœna privationis officij.

5 Decreta omnia, quæ in Synodalibus constitutionibus, & in Edictis recensentur, relegant, & sollicitè investicent, ac observentur; & si in aliquo prætermitti compererint, nos, vel nostrum Generalem Vicarium certiorent.

6 Omnium Ecclesiasticorum mores, tamquam speculatores nostri inquirant, an præscriptis per nos temporibus conferentiam casuum conscientiæ frequententent, & an Clerici in minoribus constituti omnem reverentiã, obedientiam, & assistentiam Parochis præbeant, & præcipuè in doctrina Christiana, & cum per eos Sacramenta, infirmis ministrantibus.

7 Omnem curam, & diligentiam adhibeant, ut religiosè observentur dies festi, nec licentias laborandi in diebus ijs concedunt; nisi in casibus necessarijs, & in eo casu omnino gratis sub pœna nostro arbitrio.

8 Cohabitationem, tum Clericorum cum Mulieribus, tum sponsorum cum sponsis antè matrimonium contractum in faciæ Ecclesiæ nobis, vel nostro Generali Vicario denuncient, ut contrà eos ad tenorem SS. CC. & Synodalium sanctionum procedi possit.

9 Imminente fuga patrantis, delictum aliquod, vel periculo atrocioris delicti ad Carcerationem procedant, statimq; Carceratum ad nostram Curiam transmictant cautè.

10 Quæstores elemosinarum illos admictant, quos noverit nostra, vel nostri Generalis Vicarij licentia quæstuare, exceptis mendicantibus in Diœcesi Nostra existentibus, & ijs, qui victui necessaria quærunt ostiatim.

11 At quia solet contingere commicti graviora delicta ab incertis personis, & post longum temporis spatiũ à personis Ecclesiasticis esse commissa reperiuntur, & tunc ob facti antiquitatem non plenè de corpore delicti probari potest, & propter hoc delinquentes ipsi, non pos-

possint condignè puniri;ad hoc evitandum Vicarijs Foraneis præcipimus, ut, quando talia clandestina delicta patrata fuerint,& auctores nesciuntur,quamvis nulla adsit suspicio, ab Ecclesiasticis fuisse commissa, de illo delicto in genere informationem capiant, & transmictant, & si quando tractu temporis innotuerit delicta illa ab Ecclesiasticis fuisse patrata, facilius processus impinguari possint, & delicta puniri: Quod si aliquis in hoc negligens fuerit prò qualibet vice; nostro arbitrio puniendus erit. Quod si ex aliqua rationabili causa, sibi expediens, vel difficilè visum fuerit tales informationes sumere ad Curiam Nostram de toto fiat relatio, ut remediis omnibus opportunis provideatur, sub ipsa pœna.

12 Si Vicarij ipsi, vel eorum Actuarij assumpti quascumq;informationes immutare, mutilare, aut testium dicta aliter describere in toto, vel in parte, quam ab ipsis deposita, & notata fuerunt, ausi fuerint, aut processus informativos occultare, vel lacerare; declaramus ultra pœnam incurrendam iuxta Canonicas sanctiones esse puniendos, & si quod prò suis accipere noverimus pœna triplici esse damnandos.

13 Sub pœnis arbitrio nostro mandamus ipsis, ne ultrà triduum differant informationes de delictis,& Causis Criminalibus ad Curiam Nostram spectantibus, tam ad partis instantiam,quam ex officio capere,quas in dicto termino captas transmittant.

14 Ne Vicarij Foranei timore,& propriarum virium imbecillitate in executione sui muneris torpescant omnibus, & singulis Nostræ iurisdictioni subiectis,præcipimus, ut in præmissis, & circa præmissa, debitam reverentiam, & auxilium eisdem requisiti præstent, sub pœna carceris formalis, arbitrio nostro: Nam ijsdem in iis, quæ ad iurisdictionem spectant personam Nostram repræsentant.

15 Omnimodò diligentia utantur prò extirpando abusu sponsorum, qui post sponsalia antè matrimonium

cele-

celebrandum in facie Ecclesiæ cohabitant, vel saltem si-mul versantur, ex quo scandala procedunt. Hos scanda-los homines ad nostram Curiam denuncient, sub pœna privationis officij.

16 Vbi per nos Vicarii Foranei, non fuerint desi-gnati, volumus, hoc officium, per Curatos, vel eorum substitutos exequi.

DE EREMITIS.

1 ERemiticam in nostra Diœcesi ducturi vitam ve-stigia Præcursoris Domini sectentur, qui antra deserti ad hunc finem,est ingressus,ne levi posset macu-lare vitam crimine linguæ: Pauli Eremitarum magi-stri vitam invitentur, qui in Egypti speluncam se contu-lit,non ut mundo, cuius opera sunt mala inservirent;sed Deo qui dat escam diligentibus se; Antonii Abbatis, qui accensus amore obtemperandi Christo Domino vendita re familiari, eiusq; pecunia pauperibus erogata, quæ illi impedimento erat in vastissimam Egypti solitudi-nem, se contulit, ubi usq; ad extremum vitæ suę, ieiu-niis,& orationibus Deum iugiter deprecatus est; sic se gerant, ne de ipsis conquæri possimus; (a) Dicendo, *at-tendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vesti-mentis ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.*

2 Vt Eremitæ immaculatam vitam ducere possint ullam(*b*)cum Fœminis conversationem habere iubemus intra Romitorii ambitus, quocunq: prætextu, & colore, sub pœna carceris formalis per quatuor menses,extra Ro-mitorium cum eisdem, ne collocutiones familiares ha-beant;nam Fœminæ iuxta Sancti Laurentii Iustiniani mo-nitum,vivæ urunt,mortuæ denigrant.

3 Nul-

---

a *Matt.7.* b *Ex vita B. Menna, & B. Ioannis de Tusaria.*

3 Nullus in nostra Diœcesi; sivè Laicus sivè Clericus absq; (a) nostro permissu Eremitarum habitum assumere, & gestare præsumat, sub pœna carceris formalis per mensem, si Clericus, cum talis concessio ad nos spectet.

4 Quicumq; Deo inserviendi, vel agendæ pœnitentiæ studio Eremiticam vitam elegerunt nobis se præsentent, dummodò Vxorati nō sint ad hoc eorum propositum discutiamus priusquam habitum induant.

5 Habitus Eremiticus prima vice per nos, siue alium de nostro mandato imponatur cum designatione Oratorij suæ Ecclesiæ. Deque huiusmodi impositione, & assignatione patentales literæ expediantur.

6 Tonsuram vero hoc Abitu indutos ad formam Conversorum Regularium deferre omninò volumus.

Fœminam ullam hospitem ne recipiant, etiam quacumq; urgente necessitate, sub pœna Carceris arbitrio nostro. Masculini sexus illum in hospitio per unum diem tantum recipiant, qui excedat ætatem viginti annorum, sub pœna Carceris formalis per mensem.

7 Arma cuiuscunq; generis ne deferant: Quod si aliquis visus, vel captus fuerit cum Armis prohibitis, pœna ammissionis habitus, & exilii perpetui à nostra Diœcesi punietur; si verò cum Armis igneis non prohibetis inventus, vel captus fuerit ultrà amissionem armorum, habitu Eremitico spoliabitur.

8 In Romitorii restrictu alia arma non detineat, nisi flagella, & Celitia, cum Cruce Redemptoris, qua armati victores esse possint Communis Inimici; si verò ipsis dimissis Arma prohibita detinere inveniantur, perpetuo exilio a nostra iurisdictione punientur; si verò Arma non prohibita ab Eremitarum numero delebuntur.

9 Sup-

a *Cong. Episc. in Fundana 27. Ianuarij 1594. ut de Asta in visitat. Apost. p. 3. §. 44. num. 2.*

9 Suppellectilem, quam ipsis in Cellulis permitti-mus eam esse volumus, qua Fratres Cappucini in suis utuntur. Ab eisdem Cellulis vanas picturas removeant, tantumq; illas detineant, quæ Imaginem Salvatoris, Deiparæ, Sanctorumq;repræsentent.

10 Cum hominibus facinorosis, Foriudicatis, seu Banditis,commercium ullum non habeant eos receptando, etiam ad modicum tempus, sub pœnis nostro arbitrio.

11 Saltem semel in mense Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta frequentent.

12 Nullatenus in Ecclesijs, seù Oratorijs suorum Hospitiorum confessiones excipiantur; Atq;ideò in iisdem Oratoriis confessionales sedes retinere omninò interdicimus.

13 Nulli Eremitarum liceat, postquam in uno loco habitare cœperint,cũ nostro assensu, alio se transferre,nisi intercedente Nostra, aut nostri Generalis Vicarij facultate.

14 Si è Diœcesi absque prædicta facultate,quovis prætextu discesserint,non amplius in eadem admittantur.

15 Vicarij Nostri Foranei neminem ipsorum, qui licentiam nostræ Curiæ, non exhibuerint sub quovis prætextu habitare faciant in Romitorijs, nec quæstuare permittant sub pœnis ad nostrum arbitrium.

16 Vltra triduum ab hospitiolis,seù mantiunculis suis, non absint, sub pœna expulsionis.

17 In primo ingressu ad habitandum in Romitorio inventarium omnium,quæ tam in Ecclesia,quam in Cellulis sunt fieri mandamus ad nostram Curiã transmittendum, & prædicta, idonea cautione de eisdem conservandis, si vero de Vno ad Aliud de Nostri licentia transire contingerit, nihil etiam ab ipso acquisitum secum ducat, absque nostro speciali beneplacito.

18 Mercaturas, & Negotiationes etiam rerum minimarum,

marum, ſtrictè eis inhibemus ſub pœnis arbitrio noſtro.

19 Teſtamenta, vel quæcumque alia legata, ad favorem ſuorum de bonis acquiſitis, queſtuando eis interdicimus; ſed ſolumodò permiſſimus teſtari de quarta parte prò eorum Animabus.

20 Et quia in Noſtra Diœceſi plura ſunt loca, ſeù hoſpitiola, in quibus vitam Eremiticam gerunt, per nos homines timoratæ vitæ deſignati, & ob eorum diſtantiam rarò ad Aures noſtras pervenit quomodo vivant; Vt Veri pœnitentes, ac ſectatores ſint in futurum Sanctorum Eremitarum, ſerventque adamuſſim has noſtras Sanctiones ipſis directas; De eorum gremio Vicarium, & Viſitatorem ad placitū noſtrū deputamus Fratrem Ignatium Bianchi commorantem in hoſpitiolo Sanctæ Mariæ Martyrum noſtræ Civitatis, cuius officium ſit viſitare ſingulis Annis omnia, & ſingula Oratoria, & Hoſpitiola Diœceſis noſtræ; diligentem inquiſitionem faciendo, num per Eremitas ſerventur omnia, & ſingula cōtenta in ijs noſtris Conſtitutionibus in tit. de Erem. contentis; Et ſi invenerit aliquem noſtris mandatis non obtemperantem, completa Viſitatione, ſtatim ad Nos referant.

21 In acceſſū Vicarij, & Viſitatoris ad eorum manſiunculas, omnem debitam reverentiam, & obedientiam, tanquam ſubditi ad Superiorem ei præſtent.

22 Deſiderantes Eremitas noſtræ Iurisdictioni ſubjectos verè Anacoretas eſſe, eis ſtrictè præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, ut annis ſingulis exercitia ſpiritualia per decem dierum continuorum ſpatium peragant, & de adimplemento quilibet fidem veritatis ſui proprii Parochi ſuo Viſitatori præſentet.

CVm ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ Sanctæ Ritũ in die feſto Sanctiſſimi Sacramenti pio Patrum inſtituto circumferri ſoleat Religioſo cultu in ſolemni proceſſione Sanctiſſimum Domini Noſtri Ieſu Chriſti Corpus per vias, & loca publica, ut Chriſtifideles gratias agant Redemptori pro tanto beneficio, quo mortis eius, & victoria, & triumphus repræſentatur. Et ut Chriſtianæ veritatis hoſtes in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi reſipiſcant: Parochi omnes noſtræ Diœceſis Parochianos ſuos Dominico die præcedenti talem ſolemnitatem cohortentur, paternèque moneant, ut ſolemnitatem hanc religioſius colant.

Non ſolùm hac ſacra proceſſione verum, (a) & aliis repræſentationibus variis Myſteriis exhibentes cũ Turribulis, Crucibus, coronis, aliiſque deinceps fieri prohibemus, (b) abſque Noſtra ſpeciali licentia. Iubemus etiam nè ſclopi mortariola, aut alia ignea inſtrumenta explodantur in loco, per quem tranſitura eſt Proceſsio, cum aliqua Sacra Imagine, Reliquia, & præcipuè auguſtiſsimo Sacramento, quoad in competenti diſtantia non fuerit jam tranſactum Baldachinum, Populuſque concomitans.

Clerus tam ſecularis, quam Regularis in Proceſsionibus gravitate, modeſtia, & devotione ità ſe gerat, ut ex eo Populus habeat quid imitari poſsit; Ideoq; ab eo abſint riſus, vanæ confabulationes, ſed eius modeſtia nota ſit omnibus hominibus.

Ad omnes publicas Proceſsiones ab Eccleſia ſtatutas;

a *De Aſſe in Methodo Viſitat. par. 3. §. 4. ver. Proceſſio n. 1.* b *Supracit. Auctor par. 3. §. 4. ver. Proceſſio num. 7.*

tas; Ac ad eas, quæ ordinatione nostra indicuntur prò utilitate, & necessitate publica, omnes Ecclesiastici seculares intervenire teneantur sub pœna librarum duarum Ceræ albæ laboratæ. Regulares verò invitati, (*a*) qui de Iure tenentur accedant, alioquin iuxtà Sac. Conc. Trid. disposita, etiam per Censuras, per Nos punientur.

Sacerdotes, & Clerici omnes in Processionibus bini incedant manibus modestè compositis, non Chirothecas, non flores, neque bacula gestantes, vel aliam immodestiam præseferentes, sub pœna Carceris formalis, per dies quindecim, neque à functione separentur illa prius non absoluta; (*b*) Et hoc quoque à Regularibus servari mandamus.

Processiones tempore Iubilæi (*c*) à Summo Romano Pontifice, & per Nos fieri publicari statutis diebus, cum sint publicæ in eis Regulares interesse decernimus, & si invitati reluctantes fuerint ad præscriptum Tridentini, tanquam Sanctæ Sedis Delegati Censuris feriemus.

Ad tenorem decreti Sac. Congregationis Episcoporum, (*d*) sub pœna Interdicti ipsarum Ecclesiarum mandamus, ne processiones, quæ fiunt in deferendo Sanctissimum Christi Corpus ad Sepulchrũ, vel ab eo redeundo extra Ecclesias, aut etiam circa Ecclesiarum ambitum fiant.

Ad compescendam irreverentiam, immo potius impietatem eorum, qui tumultus, rixas, & contentiones in ipsis viis ausi fuerint excitare, per quas Venerabile Sa-

V 2 cra-

a *Concil. Later. sub Leone X. sess. XI. & Constit. 17. Trid. sess. 25. de Reg c. 13. De Alte loc. cit. n. 1 & §. 42. ver. process. n. 1.* b *Nicolius verbo processio n. 8.*
c *De Alte in Methodo S. Visit. par. 2. §. 42. ver. process. nu. 3.* d *S. C. 6. Augusti 1591. ut ex Syn. Neap. 1694. hoc tit. n. 6.*

cramentum à fidelibus adorandum processionaliter defertur, Inhærentes Synodali Constitutioni Neapolitanæ excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendam, Nobis reservatam imponimus contra temerarios huiusmodi excessus committentes.

Nemo audeat, (a) qui de Iure potest tales processiones peragere in festo, vel infrà octavam Sanctissimi Sacramenti, nisi de mane Venerabile Sacramentum processionalitèr deferre, & quando ex iustà, & rationabili Causa eas transferre necesse erit ad Nos referant, & processionem non indicent, nisi prius obtenta licentia. Qui contra huius decreti tenorem fecerit, pœnâ librarum decem ceræ albæ laboratæ incurrat.

Nulli licitum sit extraordinarias processiones (b) indicere, absque Nostra speciali licentia, sub pœnis arbitrio Nostro.

Regulares omnes nulla eis suffragante quacumque (c) contraria consuetudine, absq; Nostra speciali facultate processiones extrà Claustra peragant, sub pœna Interdicti localis, ut pluries Sac. Cong. Rituum decrevit.

Nemo Regularium processionaliter gestare potest Sacram Euchariستiam extrà ambitum suarum Ecclesiarum, quocumque tempore, & præcipuè in festo Corporis Christi, & feria quinta in Cœna Domini, ut expresè prohibitum apparet per Sacram Rituum Congreg. (d), exceptis Fratribus Dominicanis, per brevem Clementis Octavi, qui infrà octavam Corporis Christi Venerabi-

le

---

a S.R.C. ut de Aste in Methodo S. Visit. par. 3. §. 7. ver. proc. n. 1. b Decreta C. Rit. in cit. Syn. Neap. hoc tit. in fine. c De Aste supra cit. par. 3. §. 42. verb. procque n. 9. Cit. Syn. Neap. n. 15.
d Anno 1643. Synod. Caputaq. tit. de Regul. n. 34.

se gestare(*a*) processionaliter possunt, per vicos, & plateas eligendas, quæ semel electæ, mutari non possunt.

Quod attinet ad præcedentiam inter ipsos Regulares, servanda erit Constitutio Gregorij Decimitertii lata in anno 1585. die 17. Iunii. Quò vero ad Confraternitates laicorum, illa Confraternitas aliam præcedat, quæ prius fundata reperitur, & usum saccorum habet, ut Rituum Congregatio decrevit in una Messana 7. Augusti 1621.

Si quæ controversia de præcedentia (*b*) in processionibus publicis oriatur inter Ecclesiasticos, tam seculares, quam Regulares ad Nos spectat decisio quacumque appellatione remota.

Vt ad perpetuam rei memoriam sit decretum latum sub die 12. Maij 1704. in Nostra Diœcesana Synodo anniversariæ Processionis, pro gratiarum actione, propter acceptum beneficiũ incolumitatis à Terræmotu, quo Iustus Iudex Dominus Civitatem hanc prò maiori parte subvenit die 14. Martij 1702. hic describi mandavimus, ut sequitur, v3.

Processionem, quam olim ad Ecclesiam S. Hothonis extramęnia sub die 14. mensis Martij 1702. de consilio Nostri Reverend. Capituli in hac Civitate pro gratiarum actione in honorem eiusdem Sancti Protectoris occasione incolumitatis à ruina Terręmotus acceptæ peragendam indiximus; Perpetuos in posterum Anniversario recurrent nisi dies ipsa legitimè impedita fuerit, quò casu, in aliam diem non impeditam transferantur, ac Synodali Constitutione faciendam statuimus. Cum autem plura Oppida Nostræ Diœcesis eiusdem beneficium pari incolumitate participaverint idem, ut supra à Rectoribus Pa-

ro-

---

a *S.R.C. 14. Novembris 1615. & 10. Julii 1619. ut ex cit. Syn. Caputaq. tit. de potestat. Episc. in Regul. n. 34.*
b *Trid. sess. 25. de Reg.*

rochialium Ecclesiarum, cuiuscumque Oppidi servandum decernimus, sub pœnis arbitrio Nostro. Mandantes insuper, ut in die illo Missa votiua de S. Hothone in gratiarum actionem solemniter celebretur.

Declarationes super his Synodalibus Constitutionibus.

QVæ in his Synodalibus Constitutionibus ad spiritualem utilitatem fidelium nostræ Pastorali Curæ concreditorum, & ad Ecclesiam disciplinam in nostro Clero stabiliendum statuimus, vel monuimus ex sanctis Patribus Canonicis constitutionibus præcipueq; ex Tridentina Synodo, & ex sancitis à prædecessoribus nostris decerpta sunt, & ab omnibus ad quos spectat respectiue omnino servari mandamus, sub pœnis, & censuris in ipsis adiectis, & inflictis trāsactis duobus mensibus ab eorum impressione, quo termino elapso omnes, quo supra obligare volumus, non secus, ac si singuli forent personaliter intimati, illud etiam omnes scire volumus, quod & si in aliquo decreto nulla pœna, sive mulcta expresse sit imposita; Volumus tamen per nos, vel nostrum Generalem Vicarium pro arbitrio contra trasgressores apponendam, & infligendam esse.

Has nostras Constitutiones invocato Spiritus Sancti lumine, dictatas ad literam intelligi præcipimus. Quod si difficultas aliqua oriatur super illarum intelligentia. Decisionem nobis, successoribus nostris, & Generali Vicario pro tempore reservamus, sub ea semper sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, & correctione cui submictimus.

His constitutionibus nostris non intendimus fines nostræ auctoritatis circumscribere, ne cum subditis nostris: prout æquitatis, & casuum exigentia suadebit dispensare, iure nostro valeamus.

Conscientiam quieti providere volentes declaramus

in

in nostrarum constitutionum observantia neminem esse innodandum lethali culpa, nisi ubi aliqua Ecclesia censura est annexa, vel ubi sanctorum Patrum, & juris Canonici ratio postulat.

Prædecessoris nostri Emanuelis Brancacii Patritii Neapolitani Antistitis Meritissimi impressas constitutiones præsentibus adversantes ad earum terminos reducimus; Reliquas vero, hanc nostram constitutionem uti jacent servari volumus, sub pœnis arbitrio nostro.

Ne ignorantiæ causam quis allegare præsumat omnibus, & singulis nobis in Christo dilectis Dignitatibus Canonicis, Cathedralis nostræ, & Collegiatarum Ecclesiarum; Parochis, Archipesbiteris, Presbiteris, omnibusq; Clericis; Nec non Abbatissæ Sanctimonialium, & administratoribus Confraternitatuum, Hospitalium, aliorumq; piorum locorum præcipimus, ut codicem hunc nostrarum Synodalium ordinatiorum; cum adiuncta appendice, quam imprimendam curabimus, infrà menses duos post impressionem habeant, ut eas perlegere, & memoriæ habere valeant.

Pro coronide cunctis innotescere volumus nos, in his Synodalibus constitutionibus pecuniarias pœnas annectere voluisse, non quia argentum, & aurum, aut vestem alicuius concupiscimus, sed quia potius formidine pœnæ, quam virtutis amore homo legibus obtemperat: easdem tamen pœnas pecuniarias piis dumtaxat usibus applicandas esse volumus, & in manu depositarii multarum Ill., & Ad. Reverend. Canonici Syr Livii Blundo ponendos esse mandemus.

De-

Decretum de Dimissione Synodi.

AD Dei omnipotentis, qui est Pater luminũ, & misericordiarũ, gloriam; Deiparæ Virginis Mariæ Assũmptę laudem; Sanctorumque Othonis, & Elzearij Patronorum, hanc Diœcesanam Synodum dimissam esse volumus: Cunctisque Ecclesiasticis ad proprias Ecclesias redeundi facultatem concedimus, enixè tamen eos hortamur, & monemus, ut has Sanctiones Synodales amplectendo observent, & observando in dies maiora Incrementa disciplinæ suscipiant; ut cæteri videant non frustrà Synodos fieri, sed ut abusus corrigantur, & mores reformentur.

D. Dominicus Albanese Rector S. Joannis Evangelistæ, & Synodi Secretarius.

AP-

APPENDIX

AD SYNODUM DIOECESANAM ARIANEN.

Ab Illustriss. & Reverendiss. Domino

D. HYACINTHO DE CALCE

Celebratam anno 1714.

Capita super quibus sunt interrogandæ, & instruendæ Obstetrices.

1 AN extrà casus necessitatis, sibi liceat baptizare?
2 Quos existiment esse casus necessitatis, & super illos exemplificent?
3 An Sacerdos, vel saltem masculus sit præferendus Obstetricibus in casu necessitatis?
4 An quando periculum nõ est adeò imminens, debeant advocare Sacerdotem.
5 An si partus non dum exierit, & sit periculum, tunc mulier sit præferenda, ob honestatem?
6 Quæ sit materia apta, & necessaria, vel saltem sufficiens ad baptizandum?
7 An alii liquores præter aquam naturalem, sint materia apta ad Baptismum?
8 An si aquæ sint admixti alii liquores, sit materia conveniens?
9 An ipsæ Obstetrices cum aqua soleant miscere salem, oleum, vel aliud quidpiam?
10 Quæ sint verba formæ necessaria, & an possint proferri lingua vulgari?

11 An possint, vel ipsæ soleant miscere alia verba, vel aliquod detrahere?

12 An si taceatur aliquod formæ verbum, Baptismus fit validus.

13 An sit de necessitate eidem Infanti proferre verba, & infundere aquam?

14 An sit de necessitate ter infundere in modum Crucis, & oportere, aquam tangere carnem?

15 An sit de necessitate adhibere Patrinum susceptorem, præter Baptizantem ipsum, & imponere nomen?

16 An ipsæ admisceant aliquid aliud superstitiosum in baptizando, & prima ablutione Infantis?

17 An soleat baptizare partum non dum emissum, & si fiat in Capite, an sit verus Baptismus?

18 An si exeat aliud membrum, & in periculo sit ibi baptizandum, sit verus Baptismus?

19 Quid si nullum membrum exeat, sed in utero inspiciatur, possit aqua intromitti, & baptizari?

20 Quid si nascatur monstrum, & ob periculum non adsit opportunitas consulendi Parochum?

21 Quid si nascatur partus informis, referens, aliqualitèr figuram humanam, sit baptizandus?

22 Quid si partus non integer exierit, & dubitetur an sit vivus, qua forma sit baptizandus?

23 Quid si Mulier emittat abortivum, & dubitetur, an sit animatus?

24 Quomodo proferatur forma in Baptismo sub conditione, & quando taliter sit adhibenda?

25 An in ægritudinibus Puerorum soleant uti præcantationibus, orationibus, & superstitionibus?

26 An quando domi baptizarunt, posteà ducendo illos ad Ecclesiam, hoc Sacerdoti referant?

27 An super baptizandos in Ecclesia referant aliquod superstitiosum, & quidnam sit?

28 An sciant omnes abutentes Sacramentis, & Sacramentali-

talibus, & Veneficijs Excommunicationem incurrere?

Editto Sinodale per facilitare il metodo di ben'insegnare la dottrina Cristiana in esecuzione del Concilio Provinciale.

NOn basta dare il latte, quando il modo di porgerlo sia così disadatto, che non ne riceva il lattante il desiderato nutrimento. Tal difetto habbiamo scoverto con molto nostro rammarico nell'istruzione, che si fà della Dottrina Cristiana à Fanciulli; Imperòche, se bene i nostri Parochi della nostra Diocesi non mancano sostanzialmente di somministrare il latte della cristiana pietà, coll'ammaestrarli nella medesima dottrina, però alcuni lo fanno con modo così confuso, ed inetto, che sono cagione à figliuoli, che ò non l'apprendano bene, ò almeno indigestamente, e con difficultà. Onde per ovviare à questo disordine di non poco momento, habbiamo stimato necessario di prescrivere in questo nostro Editto la metodo facile, e chiara, col quale dovrassi in avvenire nella medesima nostra Diocesi insegnare la dottrina Cristiana.

1 Ne'giorni di festa stabiliti dal nostro Sinodo il doppo pranzo, oltre al solito segno della campana della Chiesa, subito si mandarà uno, ò due figliuoli de'più diligenti, e devoti, secondo la grandezza della Parocchia, ed in loro mancanza il Chierico Parocchiano, che col campanello vada per le strade, dicendo: *Padri, e Madri mandate i vostri figliuoli alla dottrina Cristiana, altrimente ne darete stretto conto à Dio.*

2 S'eliggeranno due persone adulte delle più zelanti, e caritative col titolo di Pescatori, che tenendo le bacchette in mano vadano con piacevolezza ragunando i Parocchiani alla Dottrina Cristiana, à quali concedemo 20. giorni d'Indulgenza nella consueta forma della Chie-

fa ogni qualvolta faranno quest'opera di pietà, esortando à questo esercizio così santo le persone più nobili, e cospicue delli luoghi, acciòche più facilmente s'inducano gl' altri ad intervenirvi. Ed in mancanza de'Laici suppliranno i Chierici della Parocchia, e faranno quest'istessi, che i figliuoli nel tempo dell'esercizio stiano colla dovuta modestia, e senza strepito in Chiesa.

3 Si divideranno più Clasſi, secondo il numero, e capacità de'Parrochiani, che sono obligati ad intervenire alla dottrina, facendo, che per ogni classe siano otto, ò dieci al più, distribuiti in modo di circolo, ed ogni classe presederà col titolo di Maestro un Sacerdote, ò Chierico, ò altra persona delle più intendenti, e più prattiche nella dottrina Cristiana; adoperandosi da' figliuoli medesimi. Deputando per Maestro quello della Classe quarta alla terza, quello della terza alla seconda, e così dell'altre.

4 Si procuri, che siano le Classi almeno quattro per li figliuoli, e quattro per le figliole; nella prima delle quali s'assegnaranno per i scolari li principianti, e s'insegnarà la dottrina piccola del Bellarmino dal §. sete voi Cristiano? fino alla dichiarazione del Credo. Nella seconda Classe dalla dichiarazione del Credo fino alli Comandamenti di Dio. Nella terza dalli Comandamenti di Dio fino alle Virtù Teologali, e Cardinali. Nella quarta dalle Virtù Teologali, e Cardinali fino al fine. Essendovi poi multiplicità di Parrocchiani da istruirsi, si multiplicaranno le Classi, subdividendole, secondo il bisogno.

5 Si faranno tanti Cartelloni, quante sono le Classi, ne'quali scriverassi con lettere majuscole: CLASSE PRIMA, CLASSE SECONDA, CLASSE TERZA, &c. e distribuiti proporzionalmente i luoghi, s'affiggeranno sopra i medesimi cartelloni, acciò, che ogn' uno sappia la sua Classe. Ed in oltre in un libretto si noteranno tutti quelli, che si stimeranno atti per la tale, e tale Classe, nè si faranno passare da una Classe all'altra superiore,

riore, se non quelli, che col parere de' Maestri saranno bel nissimo imprattichiti delle cose, che s'insegnano nella Classe inferiore.

6 Gli Arcipreti, Parrochi, Rettori, ò Vicarii Curati rispettivamente dovranno assistere, dirigere, e regolare tutte queste disposizioni. Ed acciò, che riescano col dovuto ordine, decoro, e con frutto, dovranno con gran vigilanza essere tutto in tutto, e tutti in ciascheduna delle sudette Classi, e procureranno havere chi loro coadjuvi; Ed avvisaranno il loro Vescovo se li Chierici saranno negligenti, e se taceranno, la colpa si roverscierà à loro danno.

7 Gli obligati ad intervenire alla dottrina Cristiana, saranno i maschi dalli sett'anni fino alli quattordici, e le femine dalli sette fino alli dodici, e se i Parochi saranno indulgenti, la colpa si roverscierà à loro proprio delitto.

8 Quando vi fossero però huomini adulti, che non sapessero bene le cose necessarie della dottrina Cristiana, intendiamo, che restino astretti ad intervenirvi, ed i Rettori, Curati gli collocaranno in quella Classe, nella quale parerà loro, che sia necessario; se però vi fussero femine adulte, si dovranno istruire da altre donne prattiche in un luogo appartato in Chiesa. Anzi esortiamo tutti, tanto huomini, quanto femine ad intervenire alla Chiesa nel tempo di quest'esercizio; con avvertenza però, che le donne adulte si facciano stare in un luogo distinto della Chiesa, separate totalmente dagli huomini, concedendo venti giorni d'indulgenza à quelli, che interveneranno, e quaranta à quelli, che insegnaranno.

9 L'esercizio dell'insegnare doverà durare mezz'hora, e perciò ciascheduno Parroco doverà provedersi di un'orologio di polvere per suo regolamento, e terminata, che sarà la mezz'hora d'istruzione, si porranno i figliuoli di ciascheduna classe non più in circolo; ma una parte in faccia all'altra, e si farà per un'altra mezz'hora la disputa,

la

la quale consisterà in fare, che un figliuolo interroghi l'altro, e fallendo sia corretto da' compagni più prattichi della medesima Classe.

10 Finita poi, che sarà eziandio la disputa, si farà la dottrina Cristiana giusta il solito, cantandosi da due, per fare posatamente, rispondendo tutti i Parrocchiani, che sono insieme in Chiesa.

1 Il Credo. 5 I Precetti della Chiesa.
2 L'Orazione Dominicale. 6 I sette Sacramenti.
3 La Salutazione Angelica 7 L'atto di contrizione.
4 I Precetti del Decalogo. Tutti in volgare.

11 Per ultimo si recitaranno le Litanie della B. Vergine con l'orazione posta in fine della dottrina del Bellarmino.

Innocentii XI. admonitio ad verbi Dei Concionatores per literas Sacræ Congregationis Concilii.

Foris. Eminentiss., & Reverendiss. Dom. Observandiss. Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano. Eminentiss. & Reverendiss. Domine Observandissime.

Intus. A Pluribus Christiani Orbis Provincijs graves, frequentesq; Romã, atq; ad ipsam Sanctã Sedẽ adventant, seù delationes, seù quærelæ adversùs præsentem prædicationis usum, tamquam à primævo Apostolorum Instituto prorsùs aberrantem. Ac quidem cùm Verbum Dei, quod Apostolo teste, omninò esse debet sanum, ac Salutare, multiplici sermone, per plures ex ipsis Evangelij Præconibus reddatur infectum; meritò Sanctissimus Dominus Noster decrevit contagionem universo Gregi tàm exitiosam, longèque patentem omni Apostolicæ authoritatis conatu, prorsùs exscindere; Nàm, quæ pestis esse, aùt excogitari violentior ea potest, quæ cibos ipsos ad vitæ præsidium institutos, ipsasque medicinas prò morbis de-

depellendis inventas in mortis Instrumenta, & præstantissima venena converteret? Verbum profectò Dei panis est il e vitæ, & Intellectus, quo cibari, & aqua simùl salutari, qua potari fidelium Animas ab ipsis Religionis Christianæ incunabulis Redemptor noster docuit. At verò si Sal, quod prò Dei verbo à Sanctis accipitur per futiles conciones evanuerint, in quo putrescentia mortalium vitia cōdientur? Quinimò si sal idem, quod prædicatores apertæ significat per eloquentiam planè stulta infatuatum fuerit, revera non ultra valebit, nisi, ut conculcetur; Et utinam iàm non conculcaretur ab hominibus: Quæ enim ministerio, tàm Sacro, maiestas, qui decor, quæ Sanctitas, quę utilitas inest, quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes, aut iocis tàmquam histriones, aùt conversi ad fabulas, uti Poetæ, Auditores sibi prurientes auribus coacervant, aùt inanis facundiæ lenocinio, calamistrato, ac meretricio planè stylo prædicationem fędè corrumpunt? Mandat ergo Sanctitas sua, zelo verè Apostolico accensa, ùt omnes Primatæ, Archiepiscopi, Episcopi, cæterarumque Ecclesiarum Præsides, quorum præcipuum munus est Verbum Dei administrare, Gregemque pascere tantis corruptelis occurrant, easque Concionatoribus opportunè ob oculos ponant, & fugiant à facie tot pestium potiùs, quam Colubrorum. Et præsertim Vniversi intelligant, quòd per Hyeremiam Deus illis indixit: Propheta, qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè; quid palea ad triticum, numquid verba mea non sunt ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterrens petras? Videlicèt oportere, Conciones non paleis refertas esse ad vanitatem, sed igne veritatis succensas. Porrò sciant, non levem esse culpam, sed grande piaculum, gravissimaque pœna mulctandum, ubi per scurrilitatem Verbum Dei velùt in scenam adducunt, atque Auditoribus deridendum traduxerint. Prætereà neque per quæ-

stiones

stiones curiosas, ac Paradoxa vana ità suprà captum Populorum assurgant, ut verè quærantur: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis: similiter, neque per illecebras inanium verborum res non minus vanas obtrudant; & per ostentationem memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, & quasi præstigijs Auditorum animos, auresque ludificent. Quamobrem Antistites, per se si tempus vacaverit, tùm in Cathedralibus, tùm in alijs Ecclesijs, seriò animadvertant, & in Diœcesi Vicariis Foraneis, aliisque ministris, probisque Viris, à quibus ea super re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac si Concionatores normam huiusmodi transgessores, compererint, eos à prædicationis munere ad tempus brevissimum suspendant, aliavè ratione pro modo culpę plectere curent, subrogando interim alios, qui salutari modo Populo ostendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem Gloriam consequi valeant. Eminentia igitur vestra in Civitate, ac Diœcesi ejus curæ credita, Sanctiss. D.N. jussibus, proprioque muneri satisfacere, non gravabitur, idemque suis suffraganeis, vel qui Synodo Provinciali interesse consueverunt, significare. Et Em.V. manus humillimè deosculor. Romæ 6. Julii 1680.

Humilissimus, & Addictissimus servus
F. Cardinalis Columna.
S. Archiepiscopus Brancatius Episc. Viterbien. Secr.

Istruzzione da farsi da Parrochi à giovanetti, che doveranno communicarsi la prima volta.

1 ESsendo obligo preciso de' Parrochi d'ovviare allà negligenza de' Padri, e Madri di Famiglia, che il più delle volte trascurano d'introdurre i loro figli allà participazione della sacrosanta mensa Eucharistica, à cui

in

in haver l'uso di ragione, vengono dalla Divina Bontà liberalmente invitati; da che ne viene allo spesso, anche la trasgressione del precetto dell'annuale communione, come l'avvertiva à suoi Curati Diocesani il gran Arcivescovo di Milano S.Carlo, in una simil'istruzzione ad essi drizzata. *Cum autem*, così il S.Pastore, *Pueros ad decem annorum ætatem venisse Parochus noverit, ità ut capaces sint, qui intrà aliquod tempus communionem excipiant. Curet Parochus, ne Parentum negligentia priventur amplius hujus spiritualis thesauri participatione: Quandoque enim nonnullos, aut negligentia, aut ignorantia, jam annis multis provectos tales invenimus, sed quàmprimum poterit, diligenter eos doceat, quæ ad hoc Sacramentum recipiendum sunt necessaria*. Però dovrà ciascuno de'Parrochi haver nota distinta di tutti i fanciulli, che sono sotto la sua cura, e dell'età di ciascuno se sia idoneo alla santa Communione, dovendo tal'esplorazione rimettersi regolarmente al discreto giudizio del Curato medesimo, poiche à tal'attitudine altri vi pervengono più presto, altri più tardi.

2 Prima d'amministrare ad essi questo Divino Sacramento, l'esamini diligentemente in tutto ciò, che è necessario à credersi, sapersi, ed operarsi in ordine alla nostra S. Fede, e virtù Cristiana, ed in particolare della dignità, ed eccellenza di detto ammirabile Sacramento, in cui per le parole della Consecrazione vi è il vero Corpo di Giesù Cristo Signor nostro, e per concomitanza anche il suo Sangue, Anima, e Divinità, quale egualmente ricevesi sotto la specie del pane, e del vino concessa solo à Sacerdoti.

3 L'insegni la dovuta preparazione, qual'è la disposizione corporale non solo, come sarebbe il digiuno naturale della mezza notte antecedente; má in primo luogo haver la coscienza netta da peccato mortale, che perciò è necessario purgarne l'anima avanti di communicarsi per

mezzo del Sacramento della Confessione; poiche altrimente si commeterebbe nuovo peccato mortale di sacrilegio.

4 Di più, che la Communione non deve essere data per una certa usanza, come fanno molti, ò per paura delle pene minacciate dalla S. Chiesa, à chi ne trasgredisce il precetto, ò per altri humani rispetti; ma con fervore per corrispondere all'affetto del medesimo Redentore, mostrato nell'Istituzione di detto divino Convito per l'Anime, in cui si rappresenta una viva imagine della sua dolorosa passione, e morte; del sacrificio incruento, che s'offerisce quotidianamente sù l'Altare da'Sacerdoti, sincome s'offerì dal medesimo Cristo sù la Croce nel Monte Calvario per la salute de'peccatori; acciò da detto cibo divino s'infervorino all'imitazione delle sue virtù, e ricevano forza di resistere alle tentazioni, il perdono de' peccati commessi, fortezza ne'travagli, ed altre simili consolazioni.

Septimò, Dominationi tuæ ſingulariter commendatur paterna Monialium cura, quæ cum ſint illuſtrior portio Gregis Chriſti, in maiori pretio habendæ tamquam charæ Chriſti ſponſæ, & maiori ſunt etiam ſollicitudine cuſtodiendæ. Satagat igitur dominatio tua, ut in iis, quæ ad obſervantiam regularem ſpectant in Monaſteria non inducatur diſciplina ſolutior, & in primis debitus à ſecularibus receſſus obſervetur: auferatur idcircò inutilis ad Crates frequentia, ne à divino, cui ſe dedicarunt, cultu diſtrahantur, atque operam det, ut ea, quæ de colloquiis cum Externis, tàm ſecularibus, quàm regularibus à ſacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, variiſq; decretis, & ſacrarum Congregationum declarationibus deſuper ſæpiùs emanatis, publicatiſque ordinata ſunt, accuratè obſerventur. Studeat prætereà, ut Confeſſarios doctos, ætatis maturæ, vitæ irreprehenſibilis, zelantes, & ab omni cupiditate alienos habeant, & pro tempore Concionatores probis moribus inſignes, ſpirituque ferventes, à quibus ad debitam Chriſto fidelitatem ſervandam excitentur, qui eaſdem præ aliis ad tantum honorem evexit, & tam ſublimi voluit vocatione dignari. Meminerit etiã dare operam, ut id, quod à Sanctæ memoriæ Innocentio Papa XI. ſtatutum fuit fideliter obſervetur, ut ſcilicèt illæ omnes, quæ Moniales in quocumque Monaſterio, etiã Regularibus ſubdito fieri cupiunt, exercitiis ſpiritualibus per decem dies, antequam habitum ſuſcipiant, & inter Novitias admittantur, incumbere debeant: & eadem per idem tempus repetant exercitia, antequàm ad profeſsionem admittantur; Et quia idem Pontifex ſimiliter decrevit, ut omni magis ſollicito, & diligentiori ſtudio, modo tamen ſuavi, & diſcreto curarent Superiores, ut omnes etiam Moniales profeſſæ ſemel in anno per aliquos ſaltem

dies,

dies, tempore magis opportuno iisdem exercitiis vacarent ad assequendā innovationem spiritus iis, quæ Deo penitùs consecratæ sunt, valdè necessarium; idcircò vult Sanctitas Sua, ut dictum decretum pro renovato habeatur, & casu quo in ista Diœcesi in praxim hactenus deductum non fuerit, Dominationi tuæ expressè committit, ut illius exequutionem præsentis Jubilæi occasione inducere, & promovere diligentèr curet.

Octavò. Illud autem, in quo majorem ponere convenit, Dominationem tuam, modestam respicit vivendi normam Clericorum, ut scilicèt tàm in habitus honestate, & externis actionibus, (in quo multi gravitèr delinquunt) quàm in vita, disciplina, morumque innocentia, illum in Ecclesia Dei sanctitatis odorem spirent, cujus suavitate omnes ad virtutes amorem efficaciter possint allicere, prout Institutum, quod profitentur, & Ordinis, cui nomen dederunt dignitatis meritò exposcit. Meminint se in Ecclesia Dei in alto positos, tamquam benè vivendi exemplum cæteris præbituros: Quia, ut in Canone Trid. habetur in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iis, quæ sumunt, quod imitentur, idcircò etiam necesse est, ut in omnibus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant; vitæ probitate cæteris præeuntes, operibusque confirmantes id, quod alios verbo docere tenentur.

Nonò cum autem certissimum sit easdem orationes, quæ si pio erga Deum, animo, religiosaque cum observantia fiant, Divinam misericordiam nobis conciliant, si è contra oscitanter, ac irreverenter peragantur maledictiones divinas nobis accrescere, juxta id, quod scriptum est: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*; & non ad meritum, sed ad culpam deputari, juxtà Prophetæ verba: *Oratio ejus fiat in peccatum*: Idcircò, ut omni ex parte quantùm fieri potest pnblicorum in afflicto Orbe Christiano flagellorum occasiones eliminentur, utque con-

conveniens in Ecclesia decor, una cum Maiestate sacrarum functionum propria resplendeat, vult Sanctitas Sua, ut vehementer, frequenterque Dominatio tua ob oculos ponat, Canonicis beneficiatis, Mentionariis, Cappellanis, Clericis, aliisque tàm in sua Cathedrali, quàm in suæ Diœcesis Collegiatis inservientibus, strictissimè teneri eos cum omni reverentia, silentio, & modestia Choro interesse, prout præsentiæ tremendæ Altissimæ Majestatis convenit, ibique cum cordis devotione, voceque distincta psallere, non cursim, & festinantèr, aut verba truncando, sincopandoque; itàut una Chori pars versiculum non incipiat, priusquam alius completus jam sit; Populusque ea, quę cantantur intelligere valeat, & in audiendis divinis laudibus ad devotionem, & compunctionem accendi. Monendo, quod illi, qui in talibus graviter delinquunt, ministerii sui præscriptum non implent, & idcircò iniquè stipendia solita recipiunt, consequentèrque ad illa restituenda tenentur. In hoc autem Sanctitas Sua conscientiam non solùm Dominationis tuæ, sed etiam Chori Præfectorum graviter onerat, si debitam diligentiam non adhibeant, ut superiùs dicta observentur, atq; alia etiam, quæ juxtà dispositionem Sacrorum Canonum, & singularium cujuscumque Ecclesiæ statutorum observare debent. Valens, ut transgressores punctatione, & aliis pœnis Canonicis severè puniantur, & si sint ministri, aut servientes amovibiles, removeantur. Maximam præterea attentionem adhibere tenebitur Dominatio tua, ut tremendum Altaris sacrificium, quo nihil sanctiùs, diviniùsque in toto Terrarum Orbe reperitur à Sacerdotibus, non solùm cum interiori cordis munditia, quæ summa convenit offerentibus quotidiè Æterno Patri cœleste Incarnati Filii holocaustum, verum cum æterna etiam devotione, quæ in fideli, accurataque Sacrarum Cœremoniarum in Rubricis præscriptarum observatione consistit peragatur, ità ut, qui mediator inter Deum, & ho-

 mines

mines ad placandam divinam iram constitutus est, eam propria negligentia, socordiaque ampliùs non accendat.

Decimò, ac postremò, cum negari non possit quin magnus Ecclesiasticorum numerus dignitatis Sacerdotalis existimationem multùm apud Populum minuat, dùm maximè in pluribus illa meriti prerogativa non elucet, quæ gradui respondeat: Idcircò Dominatio tua cautelam multam, circumspectionemque in Ordinibus conferendis adhibeat, moniti Apostolici memor: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: Nullumque omninò Ecclesiastico cetui adscribat, ut monet S. Leo, ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ; Illos penitùs constantèrque reiiciens, qui non vero famulandi Deo desiderio accensi, sed humanis cupiditatibus, mundanisque rationibus adducti, se in Domini sanctuarium intrudere tentant. Fidelitèr ergo servet id omne, quod ea de re à sacris Canonibus, & præsertim Sacro Conc. Trid. decretùm fuit, seduloque satagat ministros idoneos pietate, doctrinaque ornatos eligere; quia licèt tales pauci sint, melius est, ut in sacris Canonibus habetur, & experientia confirmatur: Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possunt dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.

Quòd si superiùs dicta sedulò observentur, confidit Sanctitas Sua, eam tàm ardenter à suo paterno animo concupitam consolationem assequi se posse, ut gravioribus abusibus sublatis, veraque christiana pietate restituta, Italia nostra à præsentibus calamitatibus, majoribusque aliis, quas nobis justitia divina intentat, liberetur, & ad uberes divinarum misericordiarum effectus in spiritualibus, ac temporalibus, magis, ac magis feliciter disponatur.

G. Cardinal di Carpegna Prefetto.

N. Grignaldi Secretario.

Con-

Constitutio Gregorij Papæ XV. contra Sollicitantes in Confessionibus.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam Rei memoriam.

VNiversi Dominici Gregis curam, quamquam immeriti, Cœlesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus gravibus contagijs conservetur immunis; multoque majori studio providere; ut omnis pestis ab iis evertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultrà, nisi, ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus; quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad sacras audiendas Confessiones deputatus, sacrosancto Sacramento Pœnitentiæ, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane Aspidem porrigat, & ex Cœlesti medico infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur: Idcircò nos ea, quæ his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis, certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur quantum ex alto conceditur, providendum duximus, aliàs siquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videl. *Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hyspaniarũ hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali: Cũ sicut nuper, non sine Animi nostri molestia accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hyspaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœcesibus curam Animarum ha-*

habentes, sivè eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones, abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Salvatori Nostro Jesu Christo injuriam facere vereantur; mulieres, videlicèt pœnitentes ad actus inhonestos dùm earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seù allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Divinæ Maiestatis offensam, & Animarum perniciem, Christifidelium scandalum non modicum. Nos in Animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant: Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seù alios à te deputandum, vel deputandos, contrà omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœcesum, de præmissis quomolibet diffamatos, tàm sæculares, quàm quorumvis etiam Exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regulares cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tàm super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligentèr inquiras, & iuxtà facultatem tibi contrà hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxtà excessuum suorum qualitates, prout Juris fuerit, punias eos, etiamsi, & prout de Iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, secularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus

nibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum; necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam Iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quamvis firmitate alia roboratis, statuto, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, & eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die 16. Aprilis MDLXI. Pontificatus nostri anno secundo. Igitur, ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus ubique locorum inviolabilitèr observentur, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium contrà hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica authoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque non solùm in prædictis Regnis Hyspaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmitèr, & inviolabilitèr observari præcipimus, & mandamus, ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi, ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tàm sæculares, quàm quorumvis, & quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuscuuque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, sivè inter se, sivè

cum

cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sivè antè, vel post immediatè, seù occasione, vel prætextu Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seù ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissimè, ut infrà puniantur. Et prætereà omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omniũ Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum Vniversi Orbis Christiani, in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras litteras, etiam privativè quo ad omnes alios specialitèr, ac perpetuò Iudices delegamus, ut super his contrà prædictos simùl, vel separatim in omnibus, proùt in causis fidei, iuxtà Sacrorum Canonum formam, necnon Officii Inquisitionis huiusmodi, Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos prò criminum qualitate, & circumstantijs suspensione ab exequtione ordinis privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activè, & passivè si Regulares fuerint; Exilii damnationis ad Triremes, & Carceris, etiam in perpetuum, absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernent: Eos quoque si prò delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus S.R.E. Cardinalibus Inquisitoribus, nè delictum tàm enorme, & Ecclesiæ Dei tàm perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse, arbitrio

bitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur Reum tradendum esse pronunciandi.

Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque: mandantes omnibus Confessarijs, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab illis, ut suprà sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seù ut præfertur tractantes, Inquisitoribus, seù locorum Ordinarijs prædictis; quod si officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seù tractantes, ut suprà iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos prò modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Iudicio, & extrà habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, seù illarum exempla ad Valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ità artent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die 30. Augusti 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo indictione quinta, die verò prima mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris D.N. Gregorii divina providentia Papæ XV. anno eius secundo: Retroscripta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, ut moris est per me Brandimentem Latinum Apostolicum Cursorem. Octavius Spada mag. Curs.

Super

Super ead. Const. contrà Sollicitantes, &c. excusum est Neap. Exemplum litterarum Illustriss. D. Cardin. Millini ad Illustrissimum Card. Carafam Archiepiscopum b.m. tenoris sequentis.

A tergo. *All'Illustrissimo, e Reverendissimo Signor mio Osservandiss. il Sig. Cardinale Carrafa.*

Napoli.

Intus verò

Illustrissimo, e Reverendiss. Sig. mio Osservandissimo.

DOpò essersi havuta lunga, e matura cōsideratione sopra il dubio significato da più bande se i penitenti siano obligati à denuntiare i Confessori, da quali sono stati sollicitati nel loco, ò atto della Confessione, quando hanno consentito alla sollicitatione. Nostro Sig., e questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione tenuta avanti sua Santita à 25. Luglio passato, dopò haver anco inteso il parere d'una particolare Congregatione deputata per quest'effetto; hanno risoluto, che qualsivoglia penitente è tenuto à denuntiare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo, ò atto della Confessione, ancorche gli habbia consentito, e non è tenuto à propalare il proprio consenso: nè sopra ciò s'interroghi dal Vescovo, ò Inquisitore, ò loro Vicarij, avanti de'quali deporrà. Nè meno il Confessore denuntiato, procedendosi poi contro di lui ne i Constituti, che se gli faranno, s'interroghi sopra detto consenso, & in caso, che egli volesse dirlo da se, non si scriva il suo detto, come in ordine alla persona sollecitata non spettante all'Officio della Santa Inquisitione. Le parti dunque di V.S. Illustrissima sono di significare la detta risolutione à i Confessori, & incaricargliele strettamente l'osservanza; acciò che i casi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della Costitutione publicata da Gregorio XV. San. mem. contro i Confessori sollecitanti; significhino à i Penitenti l'obligo, che hanno

no di denuntiare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & havendoli consentito, e facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso, conforme alla risolutione, che s'è fatta li dichino apertamente, che non sono tenuti à propalare il detto consenso; Che tanto essi Penitenti, quanto i Confessori sollecitanti, procedendosi contro di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendo da se non si scriverà, ne riceverà il loro detto; E quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima resistenza, N. Sig. si contenta, che dal Vescovo, ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricevere per scrittura, e con giuramento la denuntia per portarla subito à chi haverà data l'autorità di pigliarla; e se oltre le cose sudette, occorrerà altro caso grave, per il quale non si possa il penitente indurre à denontiare; Vuole sua Santità, che se ne scrivi quì, e s'aspetti la risposta, & in tanto si soprasseda nell'assolutione, e tanto si contentarà V.S.Illustrissima di far osservare nella sua Diocese, facendo registrare la presente negl'atti di cotesta Corte per Informatione sua, e de suoi Successori, li quali douranno haver mira, che la presente risolutione riguarda solo quei Penitenti, che per havere consentito, fanno difficoltà in denuntiare; mà quei, che non hanno consentito, ò havendo consentito non sono in ciò renitenti, non deve il Confessore porre difficoltà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, e liberamente sodisfaccino all'obligo, ch'hanno di denuntiare, conforme alla detta Constitutione, compiacendosi anche V.S. Illustrissima di mandare copia della presente à i Vescovi suoi suffraganei, acciò da essi ancora sia fatto osservare la sudetta resolutione. Per fine à V.S.Illustrissima humilissimamente bacio le mani. Di Roma li 27. Settembre 1624.

Di V.S.Illustrissima, e Reverendissima.

Humiliss., & Affettionatiss. Servitore

Il Cardinale Millino.

Itèm, & aliæ literæ, ut infrà de ead. materia.

A tergo. *Al M.Reu. Sig., Sig. Vicario Generale di Salerno. Adest sigillum. Intus verò.*

Molto Reu. Sig.

ACciò più fondatamente si proceda cōtro li sollicitanti in Confessione; Questa suprema Congregatione ordina, che per il detto d'una sola donna non venghi à costituire il preteso Reo, senza prima darne quì avuiso, con relatione della qualità della donna, del denonciante, e del denonciato, & all'hora si scriverà à V.S. se debba, ò nò procedere à costituirlo, e carcerarlo, sarà anco V.S. contenta di significare questo medesimo ordine à i Vescovi suoi comprovinciali, acciò etiandio da loro sia esseguito, & il Sig. Iddio le conceda ogni bene. Di Roma li 17. di Luglio 1627.

Di V.S. *Come Fratello il Card. Millino.*

Constitutio, qua plura declarantur, ac præscribuntur prò tollendis abusibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum Subditorum.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

SPeculatores Domus Israel, quæ est Sancta Dei Ecclesia per ineffabilem divinæ Bonitatis abundantiam Constituti eo potissimum ab ipsis Pontificatus nostri primordiis pastoralis vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis; quippè quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tanquàm in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui dignè possint Dominica

minica Sacramenta tractare, ac edificent cunctos, tàm fidei scientia, quàm operum disciplina.

Sanè hoc inito Consilio non alios quantum fieri potest, quàm qui in sanctitate, & iustitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac piè, & fidelitèr in ministeriis anteactis se gesserint ad Sacerdotium assumi, sacrasque Ordinationes iuxtà priscum Ecclesiæ morem, præscriptis à Iure temporibus Orationi, & Ieiunio consecratis haberi cupientes severiorem quandam in concedendis indultis suscipiendi Sacros Ordines extrà tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis minimè servatis, ultrò nobis proposuimus adhibendam rationem; qua videlicèt servata, antè meritum laboris, antè tempus examinis, antè experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor nō probatis minimè tribuatur; nec unquam heri sacrilegi hodie Sacerdotes, heri prophani hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes discipuli simul, ac magistri pietatis creentur; sed ij tantum iuxtà constitutas à maioribus leges, ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

Cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parciùs quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpetratione penitùs improbata salutarem illam, quam Sacri generalis Tridentini Concilij decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illis, quos Episcopi prò necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos iudicaverint, præscribunt, disciplinam nequaquam relaxatam intelligi; quinimmò, ne unqam ad indulta huiusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum exequtionem arbitrio semper eorumdem

 Epi-

Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissimè oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus, sperantes in Domino, eos, qui iuxtà Apostoli monitum nemini citò manus imponendas esse probè norunt, sibi, & universo Gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria, ab hominibus sinè consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temerè recipi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur.

Omnes insuper, & singulos cuiuscunque tandem gradus, Ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex huius Sanctæ Sedis gratia Sacros ordines præfatos extrà eadem tempora conferendi, vel alijs, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos ordines largiri districti semper esse Iudicij oporteat seriò monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quippè facultatibus terminos religiosè custodiant, nec eos cuiusvis consuetudinis, aut exempli prætextu, ullatenus transgrediantur.

Verum quò impensius Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eo maiori cum Animi nostri dolore, ex quamplurimum Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis Regionibus existentium delatis ad nos quærelis accepimus, graviora quotidiè malignari Inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum Impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis Immemores Clericales ordines sibi forsan à proprijs Præsulibus denegatos, seù quos, aliquibus Canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari meritò verentur ab alienis Episcopis, non quæ Iesu Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent Oves in Animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot Canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Prælatorum com-

commeatu, hoc est dimissorijs, commendatitijsve eorum litteris destituti, quinimò eis inscijs, & sæpè etiam Invitis, sub minus legetimis Beneficij Ecclesiastici, originis domicilij, seù etiam familiaritatis, ac continuè Ordinantium Episcoporum commensalitatis, quæsitis Titulis in Sacrarum legum fraudem, & contemptum illigitimè suscipiunt; Atque ità non intrantes per Ostium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, Sacrificium in Sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minimè placentes, & tamen placare velle præsumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere non requiret.

Hinc est, quod nos ex commissæ nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus fraudes, ac scandala huiusmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam quantum nobis ex Alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, nec non felic. record. Vrbani Octavi contrà malè Ordinantes, & malè Ordinatos, quæ incipit *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificium Prædecessorum nostrorum, ac etiã Consiliaribus hac in re editis Constitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, illasque quo ad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, Innovantes; de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, eiusdem Concilij Tridentini Interpretum, qui quæcumque antè hac super præmissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus ædita decreta, declarationes, seù responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestati plenitudine ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ Instaurationem, totiusque Christiani Populi ædificationem.

Hoc generali nostra, & perpetuo valitura Constitutione

tione decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seù cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere, exterum quempiam, ac sibi ratione originis, seù domicilii, juxtà modum inferius declarandum legitimè contracti non subditum, ad Clericalem Tonsuram promovere, cuiusvis beneficij Ecclesiastici ei statim, ac Tonsura huiusmodi insignus fuerit, conferendi, seù ad quod is à Patronis iam præsentatus, seù nominatus fuerit, prætextu, etiam si beneficium prædictum de novo ea expressè adiecta lege fundatum fuisse, constiterit, ut quis immediatè post clericalem characterem susceptũ ad illud instituatur. Præterea Clericum, qui legitimè iam à proprio Episcopo ad eandem Clericalem Tonsuram, seù etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cuiuscumque beneficii in illius Diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales litteras proprij Episcopi tàm originis, quàm domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinati in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit.

Licet verò Clericus ratione cuiusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subiici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tandem de cætero hac in re inconcussè servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum eius sit redditus, ut ad congruam vitæ substentationem, sivè juxtà taxam synodalem, sivè ea deficiente, iuxtà morem regionis, pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudq; ab Ordinando pacificè possideatur, sublata quacunque facultate supplendi, quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii, etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seù alia quavis Diœcesi obtineret;

neret; ac Episcopus sic ordinans, tàm de prædictis testimonialibus litteris, quàm de reditu Beneficii huiusmodi, expressam in consueta Collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Cæterùm subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti occasione nimirum itineris, officii legationis, mercaturæ, vel cuiusvis alterius temporalis moræ, seù permanentiæ eius Patris in illo loco, quo casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tamen, & naturalis Patris origo erit attendenda.

Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri; tunc etiam ab Ordinario eius loci litteras Testimoniales, ut suprà obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum Testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

At si Pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiù, ac eo animo permanserit, ut ibi verè domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur contractum, pro ordinatione eiusdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui licèt alibi natus fuerit illud tandem adeò stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decemnium sàltem in eo habitando, vel maiorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum eiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit: & nihilominus ulteriùs utroque casu se verè, & realitèr animum huiusmodi habere iureiurando affirmet.

Si

Si quis tandem à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam ordinarij suæ originis Testimoniales litteras, ut supra afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seù minores ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere, seù ordinare præsumat absque eius proprij, originis scilicet, seù domicilii, Prælati Testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilij Trid. præfati, sessione 23. cap. 9. de Reform. familiarem prędictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, Beneficium insuper, quod ei ad vitam substentandam, iuxta modum superius præfinitum sufficiat, quacunque fraude cessante statim, hoc est, saltem intrà terminum unius mensis à die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis huiusmodi Testimonio expressam vicem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porrò, ut quicunque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apostolica authoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sivè domicilij subditos Clericos quoscunque ab alienis Episcopis, quavis authoritate, etiam cum suis commendatitijs litteris promotos, ne dum ad formam Conc. Trid supradicta Sess. 14. cap. 3. de refor. quo ad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eius collatorum Testimoniales litteras gratis, tamen recognoscere, ac diligenter perquirere, an quò ad illos præsentis constitutionis formæ, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis benè viso ad docendum de eiusmodi adimplemento, ità ut quos eo termino elapso id minimè præstitisse compererit à suscepto-

rum

rum ordinum exercitio, si ità, & quandiù ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

Ità verò præmissa, omnia, & singula perpetuo, ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in ijsdem præmissis, seù eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem à collatione ordinum per annum, ordinatus verò à susceptorum ordinum executione, quandiù proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, alijsque insuper gravioribus pœnis prò modo culpæ nostro, & prò tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subiaceant.

Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & prò tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatij Apostolici, Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacunque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eius, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate ubique iudicare, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Non obstantibus præmissis constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam Iuramento confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijsquoq;, Indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisve efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu

